SANGUINIS FLUXUS MULTIPLEX.

AUCTORE

LUDOVICO TESSARI

Phil. & Med. Doct.

ET

Accadem. Physico-Botanicæ Florentinæ

SOCIO.



VENETIIS

Ex Typis NICOLAI PEZZANA.

MDCCLXV.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISS. atq; EXCELLENTISS. VIRO

ALOYSIO VALARESSO

SENATORI AMPLISSIMO

Reique Litterariæ Moderatori.

L. T.



Um jamdiu mos invaluerit, ut qui publicum in edendis operibus subire periculum meditarentur,

Summos VIROS *obſecrarent ; qui adverſus ancipitem vulgi opinionem eorum opera auctoritate ſua tuerentur ; aut Divites allicerent , qui uber exantlati laboris rependerent præmium : haud tamen hæc pervolvebam ipſe animo ,* VIR NOBILISSIME , *dum hoc qualecumque ingenii mei ſpecimen tuis oculis ſiſtere tuoque Nomini inſcribere propoſuiſſem. Id enim mihi in ſtudiorum periclitatione jugiter firmum ratumque fuit , ut Deo Opt. Max. inſervirem , com-*

mu-

muni bono consulerem, iisque obtemperarem, qui pro Nobilitate, Dignitate, Scientia atque Virtute principem in Republica locum tenerent. Sed cum neminem lateat TE *præter generis nobilitatem, non modo in Amplissimo Senatu ob consilii vim, qua summopere polles; verum in Patavino Licæo, cui sapientissime praees, ob eximiam Doctrinam quammaxime collaudari, cui melius poteram hosce laborum meorum fructus offerre; præsertim cum de Medicis rebus agendum esset, quas apud*

TE *in honore esse, eisque valde delectari compertum haberem. Excipe igitur libenti animo* SENATOR AMPLISSIME *hoc Observantiæ erga* TE *meæ cultusque Testimonium, cui si humaniter annueris, meque tuo præsidio firmaveris, nihil bonis artibus jucundius, mihique meliori omine obventurum fore putavero.*



Legentibus Præfanda.

MEdicina, quæ olim caſu fortuito inventa eſt, repetitis experimentis originem, & incrementum potiſſimum debet; Poſtea vero ſedula in morbis obſervatione, atque utilium remediorum conſtanti traditione artis formam ſuſcepit, donec a poſterioribus Medicis ratione tandem ſuffulta in theoreticam, & praticam diſtingueretur.

Neoterici nihilominus quamvis in theoricis notionibus perquirendis, perficiendiſque longe admodum veteres ſuperaverint, ut hodie in rebus phyſicis, & anatomicis præſer-

 tim,

tim, vix ultra quæri posse videatur; tamen vel quod clinicam fastidirent, vel quod satis theoricam cum praxi non conciliarent, in facili, tutaque morbos cognoscendi, & *sanandi* methodo nondum ipsis præcellerunt.

Ii enim, qui nunc valetudinis restituendæ, non differendi caussa, ægrotantium cubilia continuo adeunt *Harveum* porro commendant pro detecto sanguinis circulo; *Levvenoekium* magni faciunt pro cruoris, atque seminis analysi perlustrata; Mirantur *Ruischium Albinum*, *Zinum*, *Loeberculium* &c. in exilissimis injectionibus tantum perfectos esse; *Hallerum* pro sua laudant irritabilitate, atque *Cotoneum* pro acustico fluido nuper animadverso; Magnumque *Morgagnum* denique pro novis inventis, aut illustratis partibus, ceterosque in physica, aut anatome summos viros ad sydera ex-

extollunt ; At *Hippocratis* aureos codices , ejuſque ſectatores *Lomium*, *Sydnamium*, *Baglivium* &c. diu noctuque pervolvunt , ipſos addiſcere , proſequi, atque æmulari conantur, nuperimorum vero illos tantum plurimi faciunt , qui morborum differentias, ſigna, aut judicationes declarant, idoneam pharmaca exhibendi occaſionem proponunt , aut propriis, vel alienis fidis obſervationibus hæc jugiter confirmant ; eam igitur medicinæ partem , quæ praxim reſpicit potiſſimam, utiliorem , diligentiuſque inquirendam eſſe nemo contenderit.

Tametſi multi poſt Divum *Senem* ampla de praxi volumina condiderint , minus recentiorum tamen plerique , quamvis Diagnoſim probe calerent cum mechanicis , atque anatomicis nuperimis inventis deſtituerentur futiles prorſus hypotheſes neceſſario proſecu-

ti ſunt, adeo ut in cauſſis aſſignandis, aut remediis eligendis a recto medendi tramite valde aberrarent.

Ettmullerus enim cum reliquis Sylvianis ob multum, quod ipſe in ſanguine acidum putabat, morbos omnes alkalinis abſorbentibus, & mineralibus ſubſtantiis profligare ſibi ſuadebat. *Helmontius* a ſuo *Archeo* (principio quodam ſubtiliſſimo juxta ipſum potiſſima in corpore motuum cauſſa) pleroſque affectus derivabat, adeoque in eo corrupto, aut irritato ſubigendo omnem valetudinis ſpem reponebat; *Stahlius* vero ad animæ conatus, quamvis tantum materia irretitæ morborum omnium cauſſas refferebat; *Villiſſius* denique, & *Mortonus* animalibus ſpiritibus (adhuc tamen incertis) multum tribuebant, ut ex ipſis motu, copia, aut qualitate vitiatis ſymptomatum

ex-

explicationem potiſſimum depromerent. Alii tandem alia ſomniabant, prout fervens ipſis ſuppeditabat ingenii acumen.

Demum poſt ſcientiarum inſtaurationem mechanici inſurrexerunt, qui cum omnia ad calculum redigere vellent, non animadverterunt ipſi in animatis corporibus niſi certa quadam generica ratione mechanicas leges cum motibus animalibus comparari poſſe, præſertim cum in ſingulis ſubjectis leviſſima de cauſſa vires, & reſiſtentiæ tot repentinis ſint mutationibus obnoxiæ, ut earum ſubductiones vix unquam utiliter praxi applicari queant. Hujus generis fuerunt *Borellus*, *Bellinus*, *Mazinus*, *Bernoullius*, uterque *Micholettus*, & alii quam plurimi, qui magis pro ingenii ſubtilitate, quam pro communi utilitate laudem, & gloriam ſibi promeriti ſunt.

Magnus tandem *Boerhavius* vir profecto ſumma mentis perſpicuitate donatus, multiſque ſcientiis ornatus, veterum circa cauſſas hypotheſibus rejectis, morborum ſignis ab illis potioribus tantum delectis, recentiorum calculis moderatis, ipſiſque cum diligenti anatome, & ſana praxi comparatis, niſi exercendæ ſaltem addiſcendæ medicinæ fundamenta jacuit, donec diſcipuli ſui *Van-Roien*, *Gaubius*, *Gorter* &c. Boerrhavium Boerhavio explicando, ſed *Hallerus*, & Celeberrimus *Vanſvietenus* potiſſimum copioſiſſimis notis in uſum practicum amplificando ipſum adeundi viam planiorem redidiſſent.

His præmiſſis, quæ breviter medicinæ viciſſitudines adumbrarunt, quædam de compendiariæ praxis conſcribendæ profectu erunt dicenda.

Non inficiabor enim & ipſe

phy-

physicis, & anatomicis Studiis jam absolutis tyronum esse cum ad pathologicum se convertunt, atque amplum intrant practicæ campum, sedulo veteres cum recentioribus comparare, sententias perscrutari, controversias conciliare, ut ad uberiores ita fontes hauriendo pro singulis morbis præstantiora excerpere, atque rationalem medendi epitomem sibi efformare valeant. Nostris nihilominus temporibus, in quibus ars nostra tot est scientiis exornata, nisi dicam onusta, cui datum erit quantumvis de medicina addiscenda sollicito, ea omnia persequi, quæ necessaria viderentur? Presertim cum medicorum progressui magnopere officiat intempestivum clinicæ exercitium, quod plerumque inopiæ ergo festinanter suscipiunt, ut multi ob vulgi facile arreptam famam, antequam medicinæ corticem lambant,

bant, in ipſa tamen empirice adoleſcant.

Cum hæc itaque ſit noſtri ævi calamitas, quis adverſabitur contractam praxis ſcribendæ rationem maxime præſtare, quæ dum ſelectiora circa cauſas, ſigna, aut remedia oſtendit, eximium ſimul medicis emolumentum præbet, quo vel continuo exercitio ipſi diſtracti, vel nimis externis laudibus tumefacti niſi potiori, minus periculoſa ſaltem medendi methodo facile utantur.

Quamvis itaque in ampliora auctorum volumina incumbere nunquam me piguiſſet, obvia tamen praxeos enchiridia pluries pervolvere ſum delectatus, in quibus etſi multa egregia quidem, & utilia comperiſſem, plura adhuc deſiderari perſpexi ut hujuſmodi opera omnem paginam implerent: modo enim contrariæ ſimul aggereban-

bantur ſententiæ, ut vix potiores a futilibus diſtinguerentur; modo exoletæ cum paucis ſelectis copulabantur, pleraſque alias optimorum ſcriptorum, etſi magis idoneas prorſus reticendo; modo poſt accuratam morborum declarationem generaliores tantummodo indicationes enuntiabantur abſque formulis accuratim pharmaca proponendo, modo vero cauſis, ſignis, atque differentiis curſim delibatis, locupleta nimis formularum congeries in medium afferebatur; plerumque tandem anatomicæ, atque phyſiologicæ animadverſiones deerant, quæ maxime tamen neceſſariæ videbantur, ut pro ſingulis affectibus ſpeciales magis œconomiæ animalis perturbationes innoteſcerent.

His rebus perpenſis mihi novæ conſtruendæ ſynopis ſe obtulit voluntas, ſed cum multæ ſubinde

in-

insurgerent difficultates, ac præcipue pluries, quamvis adhuc imperfecte, id factum fuisse cogitatum jam relinquebam. Attamen cum maximam operis partem pro ludo quasi explevissem, antequam negotium omnino perfecissem, non abs re esse putavi alterum tantum morborum fasciculum publici juris facere, non modo ut futuræ Synopis specimen exhiberetur, verum si unquam secundo eruditorum destitueretur judicio, ut ab inchoato labore imposterum desisterem, medentibus non inutile prorsus superesset opusculum.

Hæmorrhagiarum genus proinde, quod in praxi frequentissime occurrit sedulo investigare haud inutile fore existimavi, præsertim cum animadvertissem non solum perpaucos de his affectibus egisse, verum etiam plerosque aut ruditer declarasse, quemadmodum

om-

omnes ſanguinis fluxus in *habituales*, *criticos*, & *ſpontaneos* diſtingui oporteat, aut nonnullas eorum ſpecies quamvis ingenio invicem diſcrepantes ſimul tamen promiſcuiſſe, quod in aperto eſt ſingulorum diagnoſi, atque medellæ recte inſtituendæ magnopere officere.

Reliquum erit deinceps, ut adverſus vafros homines meum qualemcumque laborem vindicem, benevolentes lectores monere, quibuslibet facile eſſe alteram hujus artis provinciam ingredi, & quæ ad ipſam ſpectant, notiones aggerere, cujus indolis ſunt plerique libri, qui hodie confertim in lucem prodeunt, præcipue cum vix quidpiam inveniri poſſit, quod nunc novitatem redoleat; non omnibus tamen fas eſſe præſtantiora tantum deligere, ipſa in ordinem redigere, aut propriis animadverſionibus confirmari, ex quibus potiſ-

tissimum optimi Scriptores ab ineptis distingui solent. Me vero in priorum numero reponere minime profecto auderem, eorum tamen monita in studendo aut leges in scribendo pro viribus jugiter prosecutum esse fateri non vereor, quod nisi sim assecutus, id potius ingenioli tenuitati, quam ignaviæ profecto tribuendum videtur. Valete.

Con-

Conspectus.



Um hujusmodi opusculum non modo hæmorrhagiarum pertractationem absolvat, verum novæ medicinæ synopsis specimen exhibeat, idcirco aliquantisper morari necessum erit, ut ejusdem distributio clarius innotescat.

Multiplex enim sanguinis fluxus decem tantummodo species complectitur. Harum quælibet etsi plures varietates comprehendat, in *habitualem* tamen *criticam*, & *spontaneam* potissimum distingui oportet: quare cum fluxus singillatim explicaturus fuero, de habituali primum cruoris jactura sermonem suscipiam, de reliquis vero differentiis imposterum agam.

Nomina itaque usitatiora, magisque simplicia singulæ hæmorrhagiæ perquisitionem exordiuntur, ne rariora obscuritatem pariant.

Synonima subsequuntur ab Hyppocrate plerumque desumpta, aut a celebrioribus Practicis, minime vero Nosologis, quorum nomenclationes ad praxim parum conducunt.

Character deinceps reliquæ pertractationi præponitur, ut cujuslibet speciei indoles statim appareat.

Causæ deinde veniunt considerandæ, quæ, si theoreticos attendamus, multiplicem di-

vi-

visionem admittunt. Sed cum noverim in seriem pene geometricam ipsas produci, ut earum quælibet præcedentis effectum, & subsequentis caussam una constituat, ideoque, nisi summa intersit distantia, in praxi minus conferre putavi de caussarum remotione, aut proximitate admodum laborare. Potius enim illas excerpere curavi, quæ frequentius occurrunt, validius agunt, propriusque ad singulos effectus producendos concurrunt.

Diagnosis signa sive phænomena ostendit, quæ futuri, aut præsentis morbi naturam, speciem, atque differentias declarant. Eorum nonnulla cum aliis quampluribus affectibus communia sunt, ut vix in singulorum pertractatione recenseri mereantur, quædam vero alia singulos morbos speciatim respiciunt, ac inter ipsa perpacua specialissima sunt, quæ pathognomica etiam dicuntur. Ego specialia non modo, ac pathognomica signa clare, breviterque indicare sategi, verum illa sejunctim exhibere curavi, quæ aut varias ægritudinis causas, aut sedem diversam manifestarent.

Prognosis jam confirmato morbo, ejusdem felicem aut infaustum eventum, aut in alium morbum metamorphosim prænuntiat; Clinici hic divinatores pene se offerunt, quare & ipse post quam proximæ mortis periculum, aut futuræ valetudinis spem indica-

ve-

vero in singula specie mutationes magis obvias expedito sermone ennuntiare conabor ut si fieri possit tempore avertantur.

Animadversiones physiologicæ perturbationes animalis œconomiæ patefaciunt, ex quibus rationales medici singulorum morborum theorias, atque causas potissimum desumere deberent.

Earum pleræque modo circa sanguinis, atque lymphæ lentorem, solutionem, acrimoniam, elementorum exaltationem, vel heterogeneorum admixtionem, modo circa spirituum qualitates vitiatas, motusque perturbatos versantur, sed hujusmodi meditationes plerumque subtilioribus theoriis, aut hypothesibus ansam præbent, parumque ad morborum specialem indolem detegendam conducunt, quin imo sanam praxim infirmant, quæ vulgari anatome, longa observatione, & brevi therapia tantummodo fulcitur.

Hac enim de causa illas præsertim utilius referre censui, quæ ab accelerato, retardato, aut intercepto cruoris, ceterorumque humorum circuitu, aut a partium structura vitiata, vel perturbato officio immediate deducebantur.

Praxis dum hanc provinciam aggredior, quamvis rigidas theoriæ leges fere obliviscar, indicationes tamen, quæ magis urgent, in ipsa sedulo inquiro, hisque selectiora remedia appono, quæ ratione non modo, verum

rum constanti clinicorum experientia confirmata videantur, pharmaca proinde simplicia nedum in formulas redacta exhibeo, cum in tanta circumstantiarum varietate, quæ in morbis occurrit, vix quidpiam circa remediorum compositionem sanciri possit, quod singulæ indicationi constanter satisfaciat; attamen in gratiam Tyronum

Formulæ nonnullæ proponuntur, quorum frequentior, aut utilior usus videtur, ut ad earum similitudinem ipsi ex propositis simplicibus, si opus fuerit, elegantiores componant.

Aphorismi qui tum ad prognosim confirmandam, cum ad eruditionem brevi labore simulandam clinicis necessariissimi evadunt. E Hyppocrate potissimum desumuntur cum aliqui Scriptores post ipsum, vel crambe recoquerint, vel parum novi tradere valuerint. Perpauci itaque ex his delecti sunt. Nam contractum hoc practicæ specimen, nisi illos postulabat, qui immediate cujuslibet ægritudinis naturam sequebantur.

Auctores tandem magis selecti, qui de singulis morbis egerunt enuntiare curavi, ut si qui intimius in morborum specialem indaginem incumbere vellent, facile possent.

CATALOGUS.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Filippo Rosa Lanzi Inquisitore Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Sanguinis fluxus multiplex . Auctore Ludovico Tessari Phil. & Med. Doctore*, non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a Niccolò Pezzana che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 16. Febraro 1764.

{ *Angelo Contarini Proc. Rif.*
{ *Alvise Vallaresso Rif.*
{ *Francesco Morosini 2.o Cav. Proc. Rif.*

Registrato in Libro a c. 230. al Num. 1374.

Davidde Marchesini Segr.

20. Febraro 1765.
Registrato al Magistrato Eccell. degli Esecut. contro la Bestemmia.

Francesco Gadaldini Segr.

SAN-




SANGUINIS FLUXUS MULTIPLEX.

I.

TRANSUDATIO CRUENTA

EPHIDROSIS CRUENTA. *HIPPOCR.*



ILla est sanguinis effusio, quæ per aliquam fit externi corporis partem, absque *continui solutione*, vel ipsa per diapedesim, vel per anastomosim contingat.

Rarus est affectus, qui multiplicem causam cognoscit; plerumque tamen illis frequens est, qui laxiori solidorum compage, vel tenuiori humorum crasi, aut acrimoniosa diathesi donantur, ut cruor sponte per cutis hiatus, aut per dilatata vasa effugiat: hujus phœnomeni plura apud Auctores extant exempla.

LANGELOTIUS enim in muliere scorbutica sudorem sanguineum observavit. *Collect. Accad. Tom.* III. *pag.* 255.

HOFFMANUS ſudorem axillarum in adoleſcente cinnabarino colore refertum vidit. *Inſtitution.*

SALMUTHIUS narrat ex auriculari digito ſanguinem fluxiſſe. *Cent.* III. *obſer.* 36.

BARTHOLINUS menſtrua ex manibus, atque genubus fluere animadvertit. *Obſer. Anatom. Cent.* I. *Hiſtor.* 3.

AMATUS LUSITANUS menſtruum ſanguinem ex mammis ſtillare obſervavit. *Cent.* II. *obſerv.* 24. *& alibi.*

BOISSIERUS (*de SAUVAGES*) affert Carolum IX. Galliarum Regem periiſſe, cum ſanguinem ex omnibus corporis emiſſariis abunde profudiſſet. *Noſolog. pag.* 649. *Edit. Venet.*

Mirabilis eſt hiſtoria adoleſcentis cujuſdam, qui per novem annos pluries quovis anno patiebatur profuſam ſeptem dies perdurantem hæmorrhagiam ex pede, vel aliis partibus externis promanantem. *Tranſact. Anglic. n.* 471.

A morſu tandem ſerpentis cujuſdam venenati *Hæmorrhoi* dicti præter alia teterrima, quæ tunc oriri ſolent, phænomena, ſanguis bulliens, atque inflammatus e naribus non modo, verum ex auribus, atque manuum, pedumque unguibus ubertim proſilit.

Caput colubris, vel ſuccum herbæ colubrinæ *caacicæ* dictæ vulneri impoſitum prodeſſe dicunt: intus vero ſudorifera exhiberi ſolent.

Ceteroquin hujuſmodi eruptionis perquiſitio magis eruditionem, quam praxim medicam reſpicit, ſed ordo poſtulabat, ut hic primum de ipſa verba fierent.

II.

NARIUM HÆMORRHAGIA.

HÆMORRHAGIA. *HIPPOCRAT.*

HÆmorrhagiæ nomine passim medici quemlibet sanguinis fluxum indicare consueverunt; Hippocrates tamen ipso speciatim designavit cruoris e naribus fusionem.

Narium hæmorrhagia vel *accidentalis* est, a causa externa oborta; vel *spontanea*, periodica plerumque, & salutaris; vel *habitualis* & morbosa, de qua primo locuturi erimus; vel *critica* denique, quæ modo *salubris* est, si diebus judicatoriis eveniat cum ægrorum levamine, modo *insalubris*, si initio, & incremento acutorum appareat; *perniciosa* tandem, quæ in chronicis affectibus se manifestat.

HÆMORRHAGIA HABITUALIS

EA est, quæ vetustiores, a *Sanguinis insalubritate*, aut viscerum mala constitutione, causas agnoscit; Verum continenter, uberius quam par est, aut crebro revertit cum magna virium solutione, corporis consumptione, atque hydropis, tabis, aliorumque chronicorum morborum non levi suspicione.

Causæ.

Illam faciunt sanguinis *scorbutica diathesis*, vel alia quæpiam humorum resolutio, aut acrimonia; *lienis* grandior *obstructio*, jecinoris inflammatio, atque hæmorrhoidum, sed crebrius in mulieribus pertinax catameniorum obstructio.

Diagnosis.

Habitualis narium hæmorrhagia facillime a critica distingui potest, quæ febriles acutos morbos frequenter comitatur; non ita tamen a spontanea, cum in utraque acuta febris abesse soleat.

Spontanea enim sæpissime corripiuntur illi, qui sani de cetero, & vegetes apparent, sanguineo tamen, atque *plethorico* temperamento donantur, in quibus modica copia, rutilus, & cum levamine sanguis stillat.

Habituali vero, nisi antecedentium historia morbi indolem satis declararet, male affecti, *cachetici* aut manifeste scorbuto laborantes homines solent obnoxii esse, vel ii, in quibus abdominis obstructiones tactui, ac visui conspicuæ sunt. Insuper cruor in his crebro, vel *continenter*, magisque dilutus erumpit cum maximo virium dispendio, earumque detrimento.

Signa denique plura sunt, quæ proximas hæmorrhagias prænuntiant, eaque partim

com-

communia, partim alterutram speciem tantum respicientia. Generice itaque ipsas præcedere solent *capitis gravitas*, aurium sonitus, *faciei rubor*, visus hebetudo, oculorum lacrymatio, *narium pruritus*, motus febrilis, & alia quamplurima infra susius suo loco ostendenda; Singillatim tamen summum tumoris, atque doloris in *liene*, aut hepate incrementum habitualem hæmorrhagiam sæpe minatur.

Prognosis.

Deterior hæc hæmorrhagiæ species semper valde periculosa est, quia vel brevi mortem infert, vel tractu temporis *chronicos* affectus inducit.

Interdum enim tanta copia, atque nisu sanguis fertur, ut ægros exinanitione examinet Pulsus parvi, & inæquales fiant cum vultus pallore, ac extremorum perfrigeratione, donec mortis proximæ nuntia syncopes superveniat. At si fluxus quamvis non immodicus, continens tamen sit, vel crebro revertat, in iunioribus debilem constitutionem, hypocondriasim, aut spasmodicos affectus parit, in cacheticis *hydropem* gignit.

„ Demum ex contraria parte sanguinem
„ fluere periculosum esse *HIPPOCRATES*
„ admonet, ut in lienosis ex dextera nare,
„ in hepatis, obstructionibus laborantibus ex
„ sinistra.

Largæ denique hujusmodi ex naribus fusio-

nes, si per vim supprimantur, aut articulorum morbos faciunt, aut *convulsiones*, brevi tamen venæ sectionibus profligandas; in senibus vero apoplexiam facile pariunt, nisi hæmorrhoides supervenientes ab ipsa fortasse præservent.

Animadversiones Physiologicæ.

„ Membranam pituitariam, adeoque sinus
„ frontales, & sphenoidales arteriæ irrigant
„ maxillares ex maxillari interna oriundæ;
„ Venæ ad jugularis internæ ramum externum
„ sanguinem revehunt, & non solum ex ar-
„ teriis congeneribus ipsum reducunt, ve-
„ rum etiam ex sinubus orbitariis, atque e
„ sinubus duræ matris, quibuscum communi-
„ cant, ita ut acuta versus jugulares inter-
„ nas resistentia ex illis, & e sinubus duræ
„ matris cruor versus nasales venas diverta-
„ tur, & data earum dilatatione, aut ru-
„ ptura effundatur. „

En qua ratione in subjectis tenujori humorum crasi, aut laxiori fibrarum contextu donatis, ut in junioribus, cacheticis, *scorbuticis*, sanguis ex multiplici illa scaturigine in nares affluens per venas debeat continenter effugere.

En quomodo in illis, qui abdominis obstructionibus laborant, *lienosis* potissimum, ibi circulo maxime retardato sursum evehatur, atque in cerebro congeratur sanguis, donec per nares necessario sibi pandat viam.

En

En cur in ſenibus ab hæmorrhagia per vim ſuppreſſa *apoplexia* facile ſuperveniat, niſi hæmorrhoides tunc auxilium ferant.

En vobis tandem in ſanis ceteroquin hominibus plethoricis tamen, ubi in ipſis caput turgeat, quomodo modicus hujuſmodi fluxus *cerebrum levet*, a pluribus morbis præſervet, pluresque alios avertat.

Praxis.

Perperam hanc tentabimus hæmorrhagiæ ſpeciem ſubigere abſque gravioris morbi periculo, niſi prius antiquas obſtructiones abſtulerimus, conſuetas evacuationes reſtituerimus, naturalem ſanguini craſim conciliaverimus, ceteraſque ſenſim, removerimus cauſas, quæ fluxum detinere ſolent; at cum ſanguis interdum tanto impetu e naribus fundatur, ut æger vita periclitari videatur, ideoque citra rationem etiam quandoque breviorem viam ſternere, ipſumque fluxum ſtatim ſiſtere coacti erimus, adeo ut duplex inſurgat medendi methodus; altera

In Paroxiſmo

Tunc *venæ ſectiones* potiſſimum convenient, moderatæ quidem, ſed iteratæ, ex lato tamen vulnere, ut nonnulli docent, ſanguinem extrahendo, ipſumque exeuntem identidem digito intercipiendo.

Ex *pede* igitur primo venam incidere ne-

cessum erit, verum *hirudinum ope* ex vasis hæmorrhoidalibus sanguinem mittere oportebit, præsertim cum observatione constet hæmorrhoides cum narium fluxu ita alternari, ut iis supervenientibus hic desistat, & e contra.

Insuper scapulis, & cervici cucurbitæ applicari possunt, sed magnam occipiti cucurbitam admotam Auctorum plerique, & celeb. *MORGAGNUS* (*) ipse multum commendant, quia venas occipitales alte incidendo, quæ cum utroque laterali sinu communicant, sanguinis ibi affluentis copia imminuitur, ac proinde in pluribus capitis morbis præsidium affertur.

Hic pariter locum habent *pediluvia tepentia* artuumque inferiorum frictiones, quæ cruorem nonnihil revellendo prosunt.

His præmissis si sanguinis effusio pertinax sit ad externa remedia *Empirici* confugere solent partim diversis corporis partibus applicata, partim naribus intromissa, quæ tamen minus tuta sunt, & ab Agyrtis plerumque derivata.

Primo se offerunt, quæ frigoris sensum excitant, videlicet aqua frigida, nix, *glacies*, nummus uncialis, argenteus, jaspis, umbilicus marinus &c. quæ, inscio etiam ægro, cervici, fronti, aut scroto admovent.

Hæc subsequentur ligaturæ dolorificæ extremorum, inopinati terrores, atque lipothymiæ, quæ alio sanguinem divertunt; frontalia denique & epithemata constipantia usuveniunt

(*) *Adversar. anatom.* VI.

veniunt ex bolo, gypso, fuligine, aut saccharo Saturni &c. cum ovorum albumine, aut aceto subacta; vel, quod magis profuisse dicunt, simplex *albumen* cum stipula, *scroto* applicatum.

Præter ea plura alia proponuntur sub liquoris, aut pulveris specie, quæ per siphonem, aut torundam naribus intromittuntur.

Liquores sunt *aqua aluminosa*, aut vitriolica, sive illa styptica D. MATTE, spiritus, aut oleum sulphuris, & vitrioli; atramentum etiam, quod nonnulli utilissimum evasisse testantur; vel, quod magnopere HEISTERUS laudat, *spiritus vini* rectificatissimus, simplex, vel camphoratus.

Pulveres hujus generis parantur ex vitriolo albo primum, sive ex *pulvere* illo *sympathico* tantopere commendato; verum ex alumine, chalcantho rubefacto, croco martis, bolo armeno, gypso, sanguine draconis, mastice, colophonio, gossipio combusto, fuligine &c. aut ex vilioribus illis substantiis, nempe bufone exsiccato, crepitu lupi, vel stercore asinino, suillo, aut canino, præclaro nomine *album græcum* appellato, patrantur.

Ad interna quod attinet remedia, quamvis innumera proponantur, pauciora tamen convenire videntur præter *refrigerantia*, temperantia, & *anodyna* mitiora; præsertim cum in hoc affectu magnus orgasmus excitari soleat, qui hæmorrhagias semper comitatur. Emulsiones itaque ex seminibus frigidis paratæ cum pauco simul nitro, atque camphora, potissimæ

mæ ſunt pluries in die propinatæ , tum aqua communis , Nuceriana , nitrata ; ſerum lactis ſimplex , vel deſtillatum : Verum etiam potiones ſubacidæ ex citro , ribeſiis , aliiſque ſimilibus affatim hauſtæ , quibus addi poſſunt ſucci , aut decoctiones , quæ ex plantis refrigerantibus videlicet lactuca , nimphæa , portulaca , malva &c. deſumuntur .

Inter anodyna uſuveniunt diacodyon , laudanum utrumque , pilulæ cynogloſſæ , tum papaverum , & hyoſciami ſemina &c. camphora etiam his adſcribitur , & *liquor anodynus* mineralis , quem ſpeciatim quidam commendant .

Hujuſmodi opiata tamen caute Practici adhibent , præſertim cum ægri viribus deficiant , quare , & ipſe libentius confugerem ad æthiopem vegetabilem , quod una ſanguinis fervorem compeſcere , fluxumque ſiſtere potis erit .

Victus tenuis eſſe debet infrigidans porro , atque incraſſans ex juſculis hordei , avenæ , & oryzarum confectus : gelatinoſus enim animalis craſſior in paroxiſmo ſaltem minus convenit , *potus* vero continuo *ſubacidus* ſit , motuſque omnis corporis vitetur .

Oportet denique , quod æger vigilans , vel dormiens caput altius ferat , ne decumbendo ſummo cum detrimento ſanguis ubertim in guttur delapſus pulmonem , aut ſtomachum inundet .

Extra paroxiſmum.

Altera requiritur medendi ratio, quæ potiſſima eſt, modo fluxus modicus ſit, vel ſatis remediis ſubactus; ea tamen variat pro cauſarum diverſitate, ut aliunde potius deſumenda videatur, cum de ſcorbuto, viſcerum obſtructionibus, menſium ſuppreſſionibus acturi erimus.

Attamen obiter hic animadvertendum erit, ubi narium hæmorrhagia a ſcorbutica lue, vel alia humorum acrimonia, aut ſolutione dependeat, ſanguinem incraſſare neceſſum eſſe, quod præcipue obtinebitur aſſiduo *lactis uſu*, juſculis farinaceis, cibis gelatinoſis, cortice Peruviano, aquis martialibus, rationali methodo propinatis, prout occaſio poſtulaverit.

In obſtructis denique viſceribus efficaciora, atque tutiora, quæ uſuveniunt, pharmaca, ſunt rhabarbarum, gummi ammoniacum, tartarum vitriolatum, ſal ammoniacum, ſapo &c. tum quæ ex radice curcumæ, ſambuco, marrubio, & ſimilibus virtute ſtirpibus Galenice parantur alibi enuntianda. In diuturniori denique hæmorrhoidum, aut menſium ſuppreſſione utrumque fluxum prius revocare oportebit, antequam fruſtra remedia ſanguinem ſiſtentia tentemus.

For-

Formulæ.

℞. *Seminum quatt. frigid. excorticat.* ℥. j.
Papav. alb. ʒ. j.
Amygdal. dulc. excorticat. ℥. ß.
& cum
Aq. nucerian. ℥. viij.
f. ſ. a. emulſio, cui adde
Campb. raſ. acet. diſſolut.
nitr. puriſs. a. ℈. j.
Syrup. de mæcon. ʒ. ij.
m.

Inſerviat pro integra die in paroxiſmo cocleatim, vel mane, & veſpere ſumenda.

℞. *Acet. acer.* ℔. ß.
Sacbar. Satur. ℥. j.
m. pro epithemate.

Quod lintei ope interdum ſtomacho applicatur.

Apho-

Aphorismi.

EX HIPPOCRATE.

QUi capite gravati ad sinciput dolorem sentiunt pervigilio torquentur, iis sanguinis Eruptionem fore spes est, tum vero præcipue, si aliquis contensionis sensus ad cervicem pertingat. *Coac.* 194.

Qui post sanguinis ex naribus eruptionem ex tenuibus sudoribus præfrigescunt, male habent. *Coac.* 40. 342. *Prædict.* 1. 126.

EX LOMM.

Quibus sæpe e naribus sanguis fertur, his fere semper aut lien valde tumet, aut caput dolet. *Obser. medic. pag.* 85.

Auctores.

HOFFMANUS. in Institutionibus.
HEISTERUS. in Medicina practica c. VIII.

HÆMORRHAGIA SPONTANEA.

HÆMORRHAGIA PLETHORICA. *SAUVAG.*

SAlutaris hæc Eruptionis species juniores ut plurimum, vere præsertim, aut æstatis initio, sine febre, *statisque temporibus* aggredi solet; ipsam præcedunt *capiplenium*, somnolentia, vertigo, genarum, & oculorum rubor,

rubor, *narium pruritus*, aliaque similia, mitiora tamen phænomena, quæ omnia a *simplici plethora* potissimum, vel a consuetarum excretionum segnitie, aut recenti suppressione derivant, ut his positis facile cruor e naribus stillet occasione insolationis, aut alicujus erroris in gymnastica, vel in diæta abusu alimentorum, remediorumque calefacientium, quæ sanguinem nimis commoveant, atque *augeant*; at modice ipso evacuato symptomata super allata prorsus evanescunt, homo promptus magis, vividusque se prodit, & hoc naturæ molimine plures avertuntur morbi, quibus fiunt obnoxii ii, qui hoc fluxu statim deficiunt, nisi hæmorrhoides ejusdem vices gerant.

Ad curationem quod attinet, nullam plerumque postulat hæc hæmorrhagiæ species, nisi fortasse modos excederet, in quo casu moderata sanguinis extractio cum frequenti haustu potionum, aut emulsionum refrigerantium satis, superque valebit, ipsa autem perperam suppressa erit vaporibus emollientibus, atque errhinis naribus intromissis revocanda, vel identidem *venam secando* naturæ conamen implendum.

Aphorismi.

EX HIPPOCRATE.

ADolescentibus magis, sive puberibus . . . . e naribus profluvia sanguinis obvia sunt. *Sect.* III. *aphor.* 10.

HÆ-

HÆMORRHAGIA ACCIDENTALIS.

HÆMORRHAGIA PASSIVA. *SAUVAG.*

ILla eſt, quæ ab ictibus, ſtimulantibus, aut chirurgicis inſtrumentis, ſub *polypi* præſertim *extractione*, oriri poteſt, ipſa ſtypticis admotis facile curatur.

HÆMORRHAGIA CRITICA *Boni Moris*.

HÆMORRHAGIA SALUBRIS. *NIHELLI.*

EA eſt, quæ in acutis poſt morbi ſtatum circa *dies judicatorios* moderata copia, cum ſymptomatum levamine interdum ſupervenit; item, quæ catameniorum aut hæmorrhoidum vicaria eſt, tum quæ hemoptyſim, aut hematemeſim in mulieribus frequenter avertit.

In febribus enim, ardentibus potiſſimum, ipſam præcedere ſolent tinnitus, atque *ſurditas aurium* præcordiorum tenſio, ſpiritus difficultas, capitis dolor, pervigilium, temporum pulſatio, oculorum denique, narium, totiuſque faciei rubeſcentia, atque intenſus ardor.

Præterea quo ad pulſuum inditia ſpectat, ut celeb. *NIHELLUS* in ſuis Obſervationibus oſtendit, „ hæmorrhagiam præſagit pulſus „ dicrotus, vel ſubſultans, ſeu cujus identi-

„ dem

„ dem pulſationes coincidunt ; ſi prima pars „ par ſit major poſteriore, quantitas ſanguinis „ parva eſt : ſi ambo ictus vehementes æqua- „ les , hæmorrhagia mediocris erit ; ſi pri- „ mum ictum altiſſime ſequatur alter , cito „ fiet hæmorrhagia ; quo ſæpius in ſerie pul- „ ſationum revertitur pulſus dicrotus , eo ci- „ tius fiet hæmorrhagia , ut ſi qualibet trige- „ ſima pulſatione revertatur , hæmorrhagia „ intra quatriduum ; ſi qualibet decima ſexta „ intra triduum ; ſi qualibet octava , intra „ biduum ; ſi qualibet quarta , intra diem ſu- „ perventura eſt hæmorrhagia ; ſi ex carpo „ dextero major ſit ſubſultus , ex eodem la- „ tere expectanda naris hemorrhagia ; ſi in- „ conſtans ſit ſubſultuum recurſus , incertum „ eſt tempus hæmorrhagiæ. „ *Vid.* NIHELLI *Obſerv.*

Aphoriſmi.

EX HIPPOCRATE.

Morbi acuti effluente ex naribus ſanguine die judicatorio abſolvuntur. *Coac.* 150.

Quibus in febribus aures obſorduerint bis ſanguis e naribus effluens.... morbum ſolvit. *Sect.* vi. *aphor.* 60. *&* *Coac.* 210.

HÆMORRHAGIA CRITICA
Mali moris.

HÆMORRHAGIA INSALUBRIS. *DURET.Coac.*10.

IPſa initio & augmento acutorum, vel in *diebus non criticis*, nimia plerumque apparet; vel in criticis etiam, ſed *ſtillatim*, atque exigua copia erumpit ſine morbi levamine, ut fruſtraneos naturæ labeſcentis conatus oſtendat.

Haud infrequenter eam ſubſequuntur virium maxima reſolutio, ſpaſmus, delirium, aut cum pulſu parvo, & inæquali, extremorum perfrigeratio, tum frigidus, tenuiſque ſudor, quæ omnia deteriora evadunt in *malignis* petechialibus, ceteriſque febribus exanthematicis.

Aphoriſmi

EX HIPPOCRATE.

PErpuſillæ e naribus ſtillæ damno ſunt. *Coac.*57.

Sanguinis ex naribus ſtillationes, quæ undecima die contingunt, moleſtiam adferunt, tum vero præſertim, ſi bis ſanguis ſtillaverit, aut rurſus nares ſtillare cœperint. *Coac.* 337.

EX DURET.

Quæ diebus criticis cum perfrigeratione eximia ſtillatio evenit mala. *Coac.* 10.

HÆMORRAGIA SYMPTOMATICA.

HÆMORRHAGIA FEBRILIS *BOERRHAU*.

EA videtur, quæ vel a febribus nonnullis intermittentibus originem ducit (*Allen. art.* 219.) vel febres interdum alias quotidianas intermittentes comitatur, (*Sauvag. class. ix. ord.* I. *g.* I. *spe.* 3.) sed cum criticis facile convenire videntur.

III.

EXSPUITIO CRUENTA.

CRUENTATIO GINGIVARUM *ETTMULLERI*.

ILla est sanguinis per os excretio, quæ neque a pulmone, neque a ventriculo procedit, sed a dentibus, faucibus, tonsillis, cerisque propinquis partibus *sine tussi*, *aut vomitu* derivat; præcipua ejusdem, ac deterior species est

SPU-

SPUTUM SCORBUTICORUM CRUENTUM.

PTYALISMUS SCORBUTICUS *ROPER.*

IPsum a gingivis erosis ac putrefactis continuo prodit, cum dentium vacillatione, atque carie a scorbutica lue ortum, donec dentes tandem plerique decidant.

Hic affectus frequens est puerulis sordidis, male altis, aut ab impuro sanguine natis; tum adultis cacheticis, nautis, aut litora inhabitantibus, vel alia ratione *scorbuto laborantibus.*

Praxis.

Præter scorbuti medelam, quæ hic potissima est, alibi tamen inquirenda, pars affecta sequenti modo pertractari debet.

Primum quidquid putridum, aut sphacelosum in carnibus est ad vivum usque volsellis auferatur; dein cariosa alveola deradantur; si vero gingivæ sanguine simpliciter turgeant, lanceola aperiantur, & quidquid saniosi superesset, pluries in die exprimatur; partem infirmam sæpe melle, spiritu vini camphorato, aut succo limonum abluendo, atque detergendo; denique a putredine pars arceatur *tinctura laccæ*, aloe, myrrhæ, tum succis nasturtii aquatici, becabungæ, cocleariæ, raphani rusticani, menianthis, ceterarumque plantarum an-

tiſcorbuticarum , quibus auxiliis ſequens formula addi poterit.

℞. *Aq. cinamom. Lact.* ℥. iv.

Confect. Alker. ʒ. j.

Aloes. Hepat.

Myrrh. elect. ſ. p. a. ℈. j.

Alum. rup. ſ. p. g: vj.

Syrup. Roſar. rub. ℥. j.

m. f. mixtum cocleatim ore detinendum ad gingivas firmandas , atque a putredine tuendas .

EXSPUITIO ACCIDENTALIS.

ALtera cruentæ exſpuitionis ſpecies obvia eſt a ſcorbutica probe diſtinguenda , quæ nullam dentium labem , nullumque ſanguinis inquinamentum conjunctum habet , in qua cruoris ſtillæ ſub rudiorum præſertim ciborum maſticatione erumpunt , in iis potiſſimum , qui laxiori donantur gingivarum contextu ; ea vix medelam poſtulat præter ſimplicem vinoſam ablutionem .

Demum a gingivarum phlogoſi , *parulis* ſive apoſtemate diſruptis ſanguis facile ſcatet.

Præterea ſub tonſillarum inflammatione , *tuſſi moleſta* , magno ſcreatu , vel affectu catharali a faucibus , & laringe veniunt cruoris ſtriæ.

Tan-

Tandem post dentium, aut tonsillarum extractionem sanguis interdum uberrime funditur, cujus effusionis tamen perquisitio ad externas hæmorrhagias potissimum pertinere videtur.

IV.

HÆMOPTYSIS ULCEROSA *Sive tabem ferens.*

HÆMOPTYSIS HABITUALIS *MORTON.*

HUjusmodi hæmoptysis species ab eo sanguinis sputo oriri solet, quod ab *erosо*, atque conciso pulmonum alterius generis vasculo venoso plerumque originem ducit, & *incurabile ulcus* consequens habet.

Causæ.

Remotæ. Hæ mala sunt corporis, & pectoris præsertim conformatio, gracilis habitus, tenuior humorum crasis, sed *gentilitia* ad tabem *dispositio* potissimum.

Proximæ. Ad has pertinent sanguinis strumosum, scorbuticum, venereum, rachiticum, vel aliud quidquam tabificum latitans, *acrimoniosum inquinamentum*, quod humores in diem acriores reddat, atque resolvat; verum etiam solida in his subjectis jam labefactata, multumque gracilia, sensim paullatimque *dilaniet*, donec vas aliquod in pulmone *disrumpatur*.

Occasionales, sive quæ in subjectis ad hæmoptysim, ptysimque dispositis sputum cruentum de repente excitare solent, sunt plerumque *plethora*, *tussis vehemens*, cantus, cursus, saltus, vel motus quilibet muscularis nimius; regiminis, potus spirituosi, atque ciborum abusus, nimia venus, ira, & cetera animi pathemata, quæ sanguinem admodum rarefaciant, atque commoveant; Insuper jam diu suppressæ cruoris, aliorumque humorum consuetæ excretiones, hæmorrhoidum nempe, narium hæmorrhagiæ, mensium, lochiorum, aut albi fluoris, gonorrheæ, vel periodici albi fluxus dum per pulmones revolvuntur; denique hic recensendæ externæ causæ, casus, percussiones, & vulnera thoracis.

Diagnosis.

Eo potissimum colimat, ut futuræ potius hæmoptysis indicia afferamus, quæ nos de ipsa, ac certo consecutura tabe præcavenda commonefaciant, quam præsentis cruenti sputi signa satis conspicua non reticenda tamen magnifaciamus.

E Juvenibus enim illi intra 18. & 35. circiter ætatis annos, huic magis videntur morbo obnoxii, qui a parentibus, ab avis, ab avunculis, aliisve consanguineis originem duxerunt sanguinis sputo, ptysi, vel alio tabis genere vexatis, aut interemptis; qui ossa jugalia elevata nimis, scapulas ampliores, sursumque porrectas, atque cervicem longiorem osten-

ostendunt, artus vero graciliores, protensos, sed *thoracem* præsertim, reliqui corporis respectu, *angustum* habent, & depressum; qui proinde dum clivum ascendunt, aut quovis alio defatigantur corporis exercitio, moleste spirant, pulsuque celeriori laborant; ii denique, qui in volis manuum, totoque corpore æstuant, ut a pastu præsertim febricitare videantur; qui aphonam sæpe vocem edunt, saburram vomunt, & levi de causa tussiculosi fiunt; qui nocturnis frequenter sudoribus, aut diarrhæis enervantur: tandem, qui *genarum circumscripto rubore* post assumptum cibum præcipue afficiuntur; quod postremum proximæ hæmoptysis non levem suspicionem inducit.

Si quem enim intueris plerisque eorum phænomenorum laborantem, quamvis pro mitiori gradu vulgo latitantibus, medico tamen perspicuis, ipsum hæmoptysim, atque tabem facile passurum fore non dubitaveris.

His explicitis nunc reliquum erit pauca signa ostendere, quæ excretum sanguinem e pulmonum corroso, aut sauciato vasculo procedere indicant, eumque a ceteris alterius generis cruentis exspuitionibus distinguunt.

Sanguis enim in hoc casu erumpens *fluidus*, *rubens*, ac pro admixto aere *spumosus* apparet cum screatu, atque *tussi* plus, minusve molesta in ratione copiæ, atque acrimoniæ prosilientis laticis. Sputum vero tunc per intervalla recurrit, quod, si perquam uberrimum sit, sub vomitus specie expellitur, gravi anhelitu, & *murmure* in thorace superstite, quæ novam

eruptionem pertimescendam esse prænuntiant; ægri denique in hac magis, quam in reliquis hæmorrhagiis exanimantur. Dolor tamen in hoc morbo abesse solet, febris non semper.

Reliquæ cruoris effusiones propriis signis ab hæmoptysi distingui possunt. Sanguis enim, qui e gingivis, aut propinquis partibus stillat, simplici exspuitione exigua copia, & *saliva remixtus* ejicitur; qui a capite descendit *subniger* rotundus apparet, tum per nares simul muco delibutus emungitur; qui ex gutture, aut tonsillis emanat, cum *molesto screatu* expellitur; qui a ventriculo procedit, cum *vomitu* erumpit; qui ab aspera arteria exit, *dolore non caret*, & si modica tussi, multo tamen, & laborioso screatu pellitur; qui denique in pulmonum inflammationibus effunditur cum multa, & vehementi tussi, atque *lacinante* plerumque *lateris dolore* pytuita, & catharo permixtus excernitur.

Prognosis.

Neminem latet omne sanguinis sputum, quod a pulmone procedat, periculosum esse plus minusve pro emanantis cruoris copia, & sauciati vasis magnitudine, illud tamen, quod ab *infecta sobole* plerumque originem habet, & pravam humorum indolem, aut malam thoracis constitutionem sequitur, infensissimum est, ut nisi primis diebus interimat, incurabilem certo *ptysim* habeat consecuturam.

Ani-

Animadversiones physiologicæ.

Præter innatam humorum acrimoniam, ac solidorum laxitudinem tamen *præternaturalis*, corporis, atque pectoris *conformatio sufficeret*, ut hæmoptysis oriretur.

Sanguis itaque ex toto corpore redux per venam cavam dexterum ventriculum intrat, hinc ab arteria pulmonali in utrumque pulmonem impellitur, qui in hujusmodi subjectis pro summa angustia reliqui corporis respectu omnem refluentem sanguinem recipere nequit absque quo sanguifera vasa magnopere inflentur, atque distendantur. At exuberans ibi cruor non solum a debili, distractoque pulmone segniter, atque impari copia per venas pulmonales in sinistrum fertur ventriculum, verum ab hoc, atque Aortæ trunco per longas carotides, artusque protensos difficillime undequaque propellitur; sed ex vasis venosis ad cordis ostia novæ sanguinis undæ ingressum petunt, ergo pulmo continuam turgentiam, atque distensionem patietur, donec æger satis valida inspiratione uberiorem evacuationem promoveat.

His positis fac, ut aliqua accedat ex occasionalibus causis, quæ vel sanguinis copiam augeat, vel ipsum valde rarefaciat, aut commoveat, ut majori nisu contra laxas pulmonalium vasorum parietes impingat, en post maximam distensionem alicujus vasis disruptio, *hæmoptysis*, ulcus, tabes, mors.

Præ-

Praxis.

Quæ adhuc circa caufas, atque figna enuntiavimus, quamvis ad morbi fpeciem prænuntiandam, eamque a ceteris cruentis exfpuitionibus diftinguendam, verum confecuturæ tabis medelam rite inftituendam non parum conducant, tamen in hæmoptyfis præfentis curatione, quæ pro acutiori morbo haberi debet, parvi facienda videntur, cum in *fupprimendo fputo* tunc curatio omnis confiftat, ne maximum oriatur ulcus, neve cum fanguine fpiritus evomatur.

A reiteratis itaque venæ *fectionibus* fputi fuppreffio potiffimum obtinebitur: in brachio enim primum eft vena incidenda, ut, fi qua adfit morbofa fanguinis expanfio, vel univerfalis repletio, magna faltem ex parte tollatur, verum ex pede, aut e locis, ex quibus fanguis exilire confueverat, tam ut a fuperioribus ad inferiores partes ipfe divehatur, cum ut confuetæ excretiones reftituantur. Denique fublata univerfali plethora in omnibus fere pulmonum affectibus manum fecare juvat; ceteroquin eoufque venæ fectiones repeti debent, modo ægri finant vires, ac *vafa* magnopere *exinaniantur*, quod pulfuum tactu fatis dignofci poteft. Interdum etiam in pertinacioribus hæmorrhagiis ad animi deliquium fanguinem emittere nonnulli confueverunt.

Quoad reliqua fpectat externa auxilia artuum ligaturæ a Practicis commendantur, quæ in defpe-

desperatis casibus quandoque profuerunt; frigus tamen extrinsecus applicitum prorsus contemno, quod sanguinem a peripheria centrum, atque pulmonem versus impellit, ipsumque magis tumefacit. Nihilominus *D. LIETAUD* scroti refrigerationem jubet, sed *Celeb. BENETUS* in his rebus scriptor egregius, externas frictiones melius profuisse testatur.

Ad pharmaceutica quod attinet remedia, antequam vasa depleta fuerint, ipsa frustranea plerumque evadunt, imo nocua valde, si ex genere præsertim adstringentium mineralium exhibeantur. Solida enim præpostere crispando, vel uberiorem effusionem, vel cruoris congestionem excitabunt in lethalem suppurationem abituram.

Primis itaque diebus, inchoatis jam venæ sectionibus, *refrigerantia*, paregorica, mucillaginea, atque leviter subadstringentia tantum conveniunt, qualia sunt emulsiones seminum frigidorum cum papaverum semine, eorumque syrupo subactæ.

Decoctiones ex foliis, & mucillagines e seminibus psylii, symphiti, cydoniorum, polygoni &c. sed *succus* recenter ex *urtica* viridi expressus summum præstat emolumentum ad ℥. vj. semel vel bis in die propinatus, diuque continuatus. Hæc per gradus subsequuntur: gummi Arabicum, & *tragacantha a GOTTOFFREDO* in hoc morbi genere magnopere commendatum, atque ex his recenter paratus pulvis ille *HALY ABBATIS*, qui utiliter loco cenæ saltem ad ʒ. ij. in emulsione solu-

tus

tus quotidie exhibetur. Verum resinosæ substantiæ locum habent corroborantes, & adstringentes; nempe sanguis Draconis, terra Japonica, terebinthina ustulata, cera sigillatoria, sed potissimum *æthiops vegetabilis* probe confectus ad ℈. ß. cum conserva Rosarum mane sumptus, qui pro insita paregorica virtute maxime convenit, quando post vasorum depletionem magna supersit sanguinis rarescentia, vel solidorum oscillatio sputum detinens, ubi certo validiora adstringentia nocerent, quæ, si fieri possit, vitanda erunt.

Attamen in amplioris vasis laceratione cum pro erumpentis cruoris copia in faucibus Orci jam videatur æger, ad efficaciora remedia necessario est deveniendum; Hujus indolis sunt, fungus Melitensis, crocus martis, lapis hæmatites, aqua, sive essentia Rabelli, stypticum *Cobaltch*, quibus tamen præcellit *specificum HELVETII* ad ℈. ß. vel ℈. j. sub forma boli, aut mixtura quadam solutum mane sumendum, in quo tantumodo insistendum erit, donec pertinax magna ex parte subigatur effusio, summumque vitæ discrimen tollatur; post hæc ad mitiora adstringentia reverti opuserit.

Ad validiora constipantia etiam pertinent vitriolum album, colcothar, spiritus, atque oleum sulphuris, & vitrioli, &c. aliaque affinia, quæ minus laudo, quia in ipsis inest acidum vitriolicum magis explicitum, quod nimis corrugat, atque a stypticis diversa ratione agit.

Suppresso vero sputo, ac ab effuso stagnante san-

te sanguine, si opus sit, expectorantibus pulmone repurgato, sedulo incumbendum erit; antequam sauciati vasis margo in suppurationem, aut ulcus desinat, quod ipse cicatrice obducatur, atque viscus corroboretur. Quidam enim hac de causa circa finem curationis aquam calcis vulnerariam exhibent, melius tamen indicationes omnes implet *lac chalybeatum* ad ℥. vj. cum hederæ terrestris decoctione dilutum, præsertim cum tabes initium hic plerumque habeat; in progressu autem *cortex Peruvianus* ad ℈. j. epicratice sumptus non parum prodest.

Tandem quod diætam respicit, cibus valde tenuis esse debet, & facilioris subactionis, cui nonnihil gelatinosi inhæreat, ideoque primis diebus solo potu, atque coclearibus aliquibus emulsionis, aut *cremoris oryzarum*, hordei, vel avenæ ægri tantum aluntur. Verum decrescente morbi impetu, gelatinæ convenient ex *pedibus gallinaceis*, testudinibus, aut rostro vitulino &c. confectæ, quæ una nutrimenti, & medicamenti officium præstabunt; Denique cerebra vervicina, aliorumque juvenum animalium moliores partes elixæ, sed modica copia exhiberi poterunt. Potus nisi gelidus, saltem *frigidus*, hauriatur, ex aqua simplici, vel decoctione diluta plantarum vulnerariarum; vinum prorsus interdicendo.

Omnes denique violenti corporis motus, *vociferationes*, atque animi passiones prohiberi maximi interest, quæ sanguinem commovendo summum detrimentum afferent; neque culcitis

nimis

nimis cooperiendus eſt æger, quibus valde calefieret, atque ſanguinis motus acceleraretur.

Nihilo tamen minus, modo æger ſub ſanguinis effuſione non intereat, febricula, atque tuſſi ingraveſcente icoris, puriſque exſpuitione in diem tabidus fiet brevi plerumque mortem paſſurus.

Formulæ.

℞. *Semin.* 4. *or. frigidor.* ℥. j.
Amygdal. dul. eſcort. ʒ. ij.
Semin. Papav. alb. ʒ. j.
Gumm. Tragacanth. ʒ. ß.
m. & cum
aq. deſtillat. plant. ℥. iv.
f. s. a. emulſ. dein. add.
Syrup. Cydonior. ʒ. ij.

Pri-

Primis diebus exhibetur loco cenæ, vel cocleatim in morbi decursu prout occasio postulaverit.

℞. *Rad. Alth.*

Symph. in taleol. divis. a. ʒ. ij.

Semin. Psyll.

Cydon. a. ʒ. j.

Papav. alb. ʒ. ß.

Gumm. arabic. ℈. ij.

m. & cum

Aq. destill. plant. ß. q.

f. s. a. mucilag. cui add.

Syrup. Cydon. ʒ. ij.

Identidem cocleatim propinatur ad humorum acrimoniam nonnihil obtundendam, aut solidi scissuras leniter stipandas.

℞. *Lohoch. farfar.*

Alth. a. ℥. j.

cum vel sine *Oximel. simpl.* ℥. ß.

m. pro lambitivo.

Ad

Ad eliminandum, si opus fuerit, quidquid effusi concrescentis sanguinis in pulmone superesset.

℞. *Succ. urtic. virid. r. express.* ℥. vj.

Capiat mane æger vel simul vespere pro corroborandi, atque adstringendi scopo.

℞. *Æthiop. vegetab.* g. vj. —— x.

cum vel sine *fungi melitensis* ℈. ß.

Conserv. Ros. antiq. q. ß.

m. f. b. n. II.

Mane exhibeatur vel pluries in die, præsertim cum sanguinis effervescentia, aut solidorum oscillatio sputum detineat.

℞. *Specific. Helvet.* ℈. j.

Extract. urtic. q. ß.

m. f. b. vel si æger bolos respuat.

℞. *Aq. Plantag.* ℥. iij.

Specific. Helvet. ℈. j.

Gran. Kerm. s. p. g. vj.

Syrup. Cydon. ℨ. ij.

Semel, vel bis in die propinatur in grandiori, & pertinaciori sanguinis effusione.

Apho-

Aphorismi.

EX HIPPOCRATE.

ADolescentibus autem sanguinis spuitiones, &c. *Sect. III. aphor. 29.*

Quicumque spumosum sanguinem exspuunt his ex pulmone eductio fiet. *Sect. V. aphor. 13.*

A sanguinis sputo puris sputum, &c. *Sect. VII. aphor. 25.*

EX LOMM.

Adolescentia morbis est exposita acutioribus... & præcipue sanguinis sputo, & post hoc tabi. *Obs. Medic. pag. 255. Edit. Amstelod. an. 1715.*

Nullus est medicinæ locus, si sputum cruentum ab eroso esse pulmone cœpit ... *Obs. Medic pag. 111.*

Auctores.

MORTONUS in sua Ptysiologia.
BENETUS in Theatro Tabidorum.
LOMMIUS in Observationibus Medicinalibus pag. 255.

HÆMOPTYSIS ACCIDENTALIS. *MORTON.*

ILlud est Sputum sanguinis, quod a *nullo* sensibili saltem, humorum *inquinamento* originem agnoscit, sed in sano ceteroquin animali a disruptis, aut dilatatis aliqua accidentali de causa pulmonum vasculis procedit non necessario in tabem abiturum.

Causæ.

Remotæ: *plethoricum*, & biliosum *temperamentum* in juvenili præsertim subjecto cum solidorum molli contextu, summaque mobilitate conjunctum; segnis adventus, vel *difficilis eruptio mensium*, ceterarumque naturalium, vel consuetarum excretionum; nimius Artificum labor, aut Litteratorum nimia desidia, potus spirituosus, ciborum calefacentium abusus, aeris magnus æstus, vel quidquid sanguinis copiam supra lumen vasorum augere, aut in motum nimis ciere valeat.

Proximæ: una, & occasionales causæ, quæ de repente interdum in hujusmodi subjectis, vas aliquod pulmonum infringunt, innumeræ esse possunt, nempe cursus & saltus nimius, coitus frequens, *vociferationes* aut cantus diu protensi, risus vehemens, tussis valida, inopinatæ lætitiæ, aut mçroris affectus, ira, convulsio, singultus, vomendi, aut excernendi fçces grandiores conatus, casus, percussiones, atque vulnera thoracis, frigus subito extrinsecus applicitum, denique intermissio consuetarum venæ sectionum, aut suppressio spontanearum excretionum, *mensium* præsertim, hæmorrhoidum, narium hæmorrhagiæ, albi fluxus, periodicæ diarrhœæ &c.

Dia-

Diagnosis.

Sanguinem ſpumoſum floridum cum tuſſi per vices erumpentem a pulmonibus egredi ſuperius vidimus; verum a tabifico non procedere inquinamento, antecedentium hiſtoria, temperamenti examine, atque ægrorum inſpectu facile diſtinguemus. Qui hac enim mitiori ſanguinis exſpuitione corripiuntur, ſani de cetero apparent optimo plerumque corporis habitu, & *plethorico* donantur temperamento, vividi, & animoſi ſunt, *æquabiliter rubent*, nullumque certum tabis indicium præbent, effuſionem facile ferunt, promptiuſque convaleſcunt; non ita quidem tabeſcentes ſe habent, quorum hæmoptyſis ulceroſæ genus non ſolum ſigna ſuperius enuntiata præſeferunt, verum a ſputo vultus pallor, animi languor, viriumque maxima proſtratio, ipſum ſatis declarant.

Prognosis.

Sanguis, qui a pulmone ſcaturit, nunquam periculo vacat, modo tamen grandiora vaſa ſauciata non fuerint, & modica fiat cruoris jactura, atque æger probe curetur, minus hic affectus detrimenti habet, præſertim ſi per *anaſtomoſim* contingat, ut in mulieribus menſibus deficientibus abſque gravi noxa fieri defendunt; at ſi unquam ſputum diu protrahatur, tabes non raro ſuſpicari licebit.

Praxis.

Ubi hujusmodi cruoris eruptio modos excedere videretur, ea methodus potissimum conveniet, quam superius in hæmoptysis ulcerosæ curatione enuntiavimus; at si moderata appareat post venæ sectiones parvas quidem, sed reiteratas paullo ultra in remediorum selectum erit incumbendum, nisi refrigerantia, & paregorica nonnulla ad sanguinis fervorem subigedum, vel decoctiones subadstringentes plantaginis, *centinodiæ*, millefolii, *Urticæ viridis*, & similium adhibeantur, quæ fusius jam indicavimus.

Demum si a suppressis evacuationibus sputum oriatur *ab earum restitutione*, valetudo erit expectanda.

Victus præterea tenuis valde primum esse debet; at ex jusculis farinaceis, & gelatinosis animalibus paratus, qui *largiori dosi*, quam in ulceroso sputo exhiberi poterit.

Aphorismi.

EX HIPPOCRATE.

Rejectio sanguinis purior a minoris venæ pulmonalis ruptione, *Coac.* 433.

V.

VOMITUS CRUENTUS.

VOMITUS SANGUINIS *AUCTORUM*.

HIc adeſt morbus, quando ventriculus in ipſo ſanguinem, multiplici de cauſa congeſtum, *vomendi conatibus* per os, concretum plerumque, *ſine tuſſi* ejicit, ſimulque per anum nigricantem ſæpe dejicit, febre raro comitante.

Cauſæ.

Generice ſanguinis redundantia; ſed partialis potiſſimum a deficientibus menſibus, aut hæmorrhoidibus &c. nata plethora cruentum vomitum excitare ſolet; ſæpiſſime tamen in melancholicis, hypocondriacis, aut ſcorbuticis mala tantumodo viſcerum abdominalium conſtitutio ſimilem morbum producit; ab *exulcerato* enim *pancreate* ſanguinem in ventriculum frequenter derivare Practici credunt, tum ab obſtructis liene, aut hepate in ipſum repelli. Eamdem pariter calamitatem quandoque inducunt cholera ſæviſſimus morbus, ventriculi ulcus, vulnus ad ipſum pertingens, atque interdum Aneuriſma Aortæ cum œſophago communicans, ſubito diſruptum. Tandem hirudo cum lutulentis aquis ingurgitata, latitans vermis, purgantia violentiora emetica,

vel draſtica ; tum venena corrodentia , arſenicalia præſertim , intus ſumpta , idem pariunt.

Diagnoſis.

Haud infrequenter ſanguinis vomitio cum hæmoptyſi confundi ſolet , a qua tamen probe diſtingui debet.

In Hæmoptyſi enim , ut alibi oſtendimus , cruor *cum tuſſi* floridus , & ſpumoſus &c. eijcitur.

Sed in hoc morbo *ſine tuſſi* ſub *vomendi conatu* , craſſus , grumoſus , non raro fœtens , & jam concretione nigreſcens expellitur ; cibo plerumque , potione , aut pituita permixtus ; atque uno , eodemque tempore ejuſdem pars aliqua magis nigricans , ut pici ſimilis videatur , per alvum dejicitur.

Hanc eructationem vero hypocondriorum tenſio , & circa ſtomachum , atque lumbarem regionem obtuſus dolor præcedere ſolent , ipſamque a detento , corruptoque in ventriculo ſanguine crebra animi defectio , anxietas , aliaque teterrima phænomena ſubſequuntur.

At cum a variis interdum male affectis abdominis viſceribus cruor in ventriculum deferatur , ſuſpicari licebit ipſum a labefactato , aut exulcerato venire pancreate , ſi *pure* commixtus vomatur ; a liene vero ſi turbidior , & nigricans magis ſe prodat , præſertim ſi tumor , *durities* , atque pulſationes circa dorſum , ubi lienis ſedes eſt , præceſſerint , quæ tamen

poſt

post vomitum cum levamine *evanescant* ; a Jecinore denique, si *purus magis*, & splendidior erumpat ; a ventrioli tandem substantia, si detritus valde evomatur, & *aliquem* semper *dolorem* exhibeat.

Sunt, qui habent materiam nigricantem atrabilarem pro sanguinis vomitione, sed ea ad morbum nigrum *HIPPOCRATIS* referri debet.

Prognosis.

Sanguinis vomitio ab hæmorrhoidibus, aut suppressis mensibus orta minus periculosa est, ut ipsis revertentibus, facile tollatur ; neque periculosa admodum videtur si febris absit ; si a lienis recenti infarctu procedens post vomitum viscus detumescat ; si sanguis denique modica copia, & a naturali colore parum mutatus exeat.

Sed si cruor in ventriculo diu detineatur, graves superveniant Lypothymiæ ; isque niger, valde corruptus, atque fœtens vomatur, tum si ab hepatis obstructione, aut lienis antiqua labe absque visceris detumescentia in stomachum irruat, summum periculum aderit, multo tamen magis si ab exulcerato pancreate originem ducat, ut frequenter accidit, & *febris præsens sit*.

Cum a vulnere, veneno, aliisque similibus mecanicis causis vomitus hujusmodi oriatur, quantum pendat, neminem latebit.

Qui a sæviori hujus morbi specie convalescunt, vel facile relabuntur, vel in *ascitem* incidunt.

DODONEUS tamen fatetur nullum sanatum vidisse præter unicum hominem continuo absynthii usu, & mulieres, quibus suppressa erant catamenia.

Animadversiones Physiologicæ.

Qui funditus noscunt abdominalium vasorum mirum contextum, facile intelligunt, quomodo a viscerum hujus partis infarctu cruentus vomitus oriri possit.

Cæliaca enim arteria, quæ (juxta SAUVAGES) decimam quartam partem sanguinis Aortæ recipit, ramos arteriosos ventriculo suppeditat gastricos dictos, qui quadragesimam cruoris portionem a Cæliaca habent, ipsique pro multiplici divisione, atque varia distributione coronaria vasa etiam dicuntur; præterea ventriculus sanguinem recipit a surculis nonnullis arteriæ œsophageæ, epiploicæ, hepaticæ, splenicæ &c. quæ totidem sunt Cæliacæ propagines.

Venæ, quæ cruorem reducunt, sunt gastricæ, variæ arteriarum comites, coronaria vasa venosa, & brevia constituentes, quæ processibus quibusdam a vena coli, aut Mesenterii prius acceptis splenicam intrant, & hæc in venam portæ influit.

Puta quod alterutrum tunc, vel plura simul abdominis viscera infarciantur, aut alia de causa refluxus impediatur sanguinis ibi magna copia affluentis. En post maximam distensionem sanguineorum vasorum ruptura, per quam

cruor

cruor in ſtomachi cavitate collectus, tandem per vomitum expelli neceſſum erit, quod tamen interdum per anaſtomoſes fieri non inficiam.

Praxis.

Quamvis venæ ſectiones in reliquis hæmorrhagiis potiſſimum auxilium ferant, in vomitu tamen cruento non ſemper conveniunt.

Plerumque enim in gracilibus, aut male affectis hominibus jamdiu alterutrius abdominis viſceris labe vexatis, a congeſto tunc in ventriculo ſanguine tot inſurgunt dira ſymptomata, pulſus ita concidunt, vireſque proſternuntur, ut a venæ ſectionibus ægri ſemper magis vita periclitari videantur; At in plethoricis ſubjectis, ubi ſanguis negricans minus erumpit; ſed vel nimius eſt, vel a ſuppreſſis menſibus, aut hæmorrhoidibus procedit, parcas, ſed iteratas licebit phlebotomias inſtituere; primum ex brachio, dein ex locis, qui cruorem fundere ſolebant.

Ita aliquantulum uberiori vomitu ſubacto, antequam ullo ocurramus adſtringenti pharmaco, prius ſanguis in ſtomacho concreſcens erit *oxicrato* reſolvendus; verum non validioribus purgantibus, ut (non abs re fortaſſe Sydanamio placuit,) ſed levi emetico, & clyſteribus laxantibus, aut lenientibus ſubacidis in ſero lactis, tamarindis, myrobolanis, paucoque rhabarbaro etiam paratis per inteſtina eliminandus: continuo ſubacidis pariter potionibus

ex

ex ſucco limonum, ribeſiorum, omphacio &c. multa aqua, & pauco melle confectis, ventriculum a grumeſcente ſanguine detergendo.

His explicitis loco cenæ emulſiones exhiberi poterunt, quæ ſanguinis æſtum compeſcere valeant, paucas guttas addendo Laud. liquid. Sydn. vel alterius paregorici ad dolorem, ſi quis adeſſet, ſedandum, atque quietem in hoc morbo valde neceſſariam ægris conciliandam. Denique conſueti ſucci, aut decoctiones vulnerariæ, & ſubadſtringentes uſuveniunt, quæ ex Symphito, plantagine vulneraria, hedera terreſtri, ſed potiſſimum *Urtica viridi* parantur; ſunt, qui ad balſamum Peruvianum, aut Copai poſtea confugiunt, ſed hæc nimis calefacientia remedia vitanda eſſe putarem. Alii aquæ gelidæ potum exhibent, qua methodo *MICHELOTTUS* utiliter eſt uſus; Ego tamen in hoc caſu æthiopem vegetabilem, aut corticem Peruvianum, ejuſdemque extractum libentius deligerem.

Adſtringentia validiora tamen ex mineralium præſertim familia deſumpta & hic pariter contemno, quæ majorem facile vomitum concitarent; niſi pro nimia ſanguinis effuſione pauca grana *Specifici Helvetii*, aut fungi Melitenſis, cum conſerva roſarum antiquarum ſubacta, vel ad ſummum paucas guttas aquæ Rabelli maximum ægri diſcrimen poſceret.

Ad dietam tandem quod attinet, quæ cum corporis, & animi quiete non exiguam medelę partem conſtituit, juſcula conveniunt ſtomacho non ingrata, tum alimenta farinacea

ex

ex hordeo, vel oryzis, aut gelatinosa ex rostro vitulino, pedibus gallinaceis, aliisque similibus eleganter parata; sed lac proderit, quam maxime vulnerariis decoctionibus consociatum, plus minusve continuatum prout opus erit.

Speciatim tamen admonendum erit in cruento vomitu, a veneno nato, esse *emeticis* virus e corpore prius eliminandum, deinde oleo, lacte, butyro, quidquid supererit implicandum, antequam stypticis, aliisque remediis occurramus.

Cum vomitum vero faciat hirudo ventriculo detenta prius multo *sale marino*, vel ejusdem solutione insectum necare opus erit.

Formulæ.

℞. *Pulp. Tamarind.* r. e. ℥. vj.
Rhabar. optim. ℈. j.
Mel Hispan. q. ß.

m. f. pulmen. magis idoneum ad eliminandum e ventriculo sanguinem, cum clismatum emollientium, leniterqnue laxantium auxilio.

℞. In-

℞. *Infuſ. roſ. rub.* ℥ iv.

Suc. expreſ. ribeſio.

rub. ide. a. ℥ j.

Syrup. Cydon. ℥. ji.

& in *aq. Nucer.* ℔. vj. & ultr.

f. p. quæ jam ventriculo repurgato pro quotidiano potu identidem ſumi poterit.

℞. *Confect. Hyacinth.* ʒ ß.

Opi. Thebaic. g. j.

Conſer. Roſar. antiq. q. ß.

m. f. b. ſemel vel bis in die ſumendus ad dolorem vomitumque ſiſtendum ſatis efficax, niſi tamen ęgri vires maxime infractæ ſint.

℞. *Aq. C. B.* ℥. iij.

Cynamom. lact. ℥ j.

Confect. Aleber. ʒ. j.

Specif. Helvet. ℈. ß.

Syrup. granat. ʒ. ij.

m. f. mixtura adſtringens cocleatim haurienda, quæ in pertinaciori vomitu locum habere poteſt.

Apho-

Aphorismi.

EX HIPPOCRATE.

MUlieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus ſolutio. *Sect. V. aphor.* 32.

Qui ſanguinem vomunt ſi quidem ſine febre, ſalutare; verum cum febre malum &c. *Sect. VII. aphor.* 37.

A ſanguinis vomitu tabes, & puris purgatio ſurſum &c. *Sect. VII. aphor.* 78.

Auctores.

STAHLIUS. De vomitu cruento Diſſertatio.
MICHELOTUS. In Act. Academ. Curioſor. & Anglic.
GORTER. Medic. Hippoc. in commen. aphor. 37. Sect. VII.

VI.

MICTUS CRUENTUS, *HOFFMAN*, & *SYDNAM.*

MICTUS SANGUINEUS. *MORON.*

FLuxus eſt per urethram ſanguinis puri, vel lotio, ſemine, aut pure remixti; ipſe a pluribus locis. 1. a renibus, & ureteribus. 2. veſica ejuſdem collo, aut propinquis partibus, nempe veſiculis ſeminalibus, grano hordeaceo, & urethra ipſa ſcatet, febre non ſemper comite.

Is

Is modo *spontaneus* est, quasi naturæ molimen, modo *accidentalis*, modo morbosus, & *habitualis*, modo *criticus* tandem, qui *salubris*, vel *insalubris* est.

Causæ.

Præter communes cum ceteris hæmorrhagiis caussas, videlicet *sanguinis redundantiam* in plethoricis obviam, vel a consuetis suppressis, aut a deficientibus excretionibus, aut a membri amputatione natam, humorum quoque scorbuticam, herpeticam, veneream, sive alterius generis acrimoniam, plures aliæ valent caussæ mictum cruentum speciatim excitare.

Hujusmodi sunt casus, ictus, atque magnus circa lumbos in sustinendo pondere nisus, equitatio, aut venatio nimia, Bachi, aut Veneris excessus, vomendi conatus, diureticorum fortiorum, aut cantharidum, formicarum, scarabeorumque assumptio, vermis in alterutro urinæ organo latitans, aut vesicæ varix; ulcus denique a disrupto abscessu, aut præcessa nephritide ortum, *syphilis*, aut ab ipsa circa vesiculas seminales, sphincterem, aut granum hordeaceum, labes superstes, vel in his partibus extrahendæ urinæ causa ab imperiti Chirurgi manu læsio facta, calculus tandem *renum*, aut *vesicæ*, ipsumque excernendi conatus potissima morbi causa.

BOERHAVIUS putavit acuto sanguinis motu interdum ipsum ex arteriis renalibus per Bellini fistulas, absque renum labe aut cal-

culi præſentia in urethram venire ; id tamen nunquam, vel raro accidere poſſe Practici teſtantur citra quamdam vaſorum læſionem.

Lotium vero ab eſu ficuum opuntiæ, radicis rubiæ, & ſimilium rubicundum fit, ut cruentum æmuletur fluxum, ſed hic affectus morbus non eſt.

Hydrops etiam, dyſenteria, ſcabies retropulſa atque febris intermittens rubras, lateritias, aut nigerrimas urinas faciunt, id tamen ad mictum cruentum proprie non attinet.

Diagnoſis.

Primum erit diſtinguendum cruentum lotium ab urina rubra, lateritia, aut deceptiva immerſione lintei, quod in primo caſu ſanguine tinctum apparet, non vero ſi ab eſu opuntiæ, aut lixiviali diatheſi rubedo dependeat.

Secundo erit inquirendum qua ex parte ſanguis ſcaturiat; a pudendis enim, urethra, vel citra ſphincterem propinquis partibus ſtillans guttatim ipſe urina impermixtus ſine dolore, aut *mingendi conatu*, modica copia erumpit.

Cum vero cruor a veſica procedat, purus floridus, & urina quidem impermixtus prodit ; ſed inter mingendum *dolor* acutus atque *ardor* habentur, citiuſque poſt exitum in grumos concreſcit.

Interdum etiam cum maximo ægrotantium detrimento intra veſicam ſanguis concreſcere ſolet ; quod cognoſci poterit, ſi de repente mi-

mictio sine causa manifesta supprimatur; suppressionem vero subito consequantur animi defectus, virium prostratio, difficilis spiratio, atque pulsus obscurus, frequens cum totius corporis perfrigeratione.

Denique sanguis, cum a renibus deducatur, dolor saltem intensus abest, modo calculus præsens non sit, aut cruor in ureteribus non concrescat; ceteroquin copiosus ipse effluit probe *urina commixtus* a mora protinus rubicundus, liquidus, minimeque concretus, subsidens.

Tertio tandem a mictionis phænomenis prænuntiari poterunt causæ speciales, quæ in alterutro organo fluxum producunt.

In spontaneo itaque mictu sine dolore, cum levamine potius, *periodice* sanguis stillat.

In grandioris vasis laceratione, casu, ictu, vulnere, vel alia accidentali mictione *inopinanter*, ubertim, & rutilus exit.

In renum ulcere, aut disrupto abscessu ipse paullatim urina, & *floccis purulentis* simul remixtus erumpit.

In calculo renum *dolor lancinans*, cruris stupor ructusque, ceteraque signa hujus calculi præcedunt.

In vesicæ tandem calculo circa perinæum tensivum quidem, & *gravativum dolorem* molestamque titillationem cum stranguria, diris stipata phænomenis ægri persentiunt.

Pro-

Prognosis.

Sanguinis mictus valde periculosus utique est, Si ab *ulcere*, aut *calculo* alterius organi originem ducat; minus tamen pertimescendus videtur, si raro, sine febre, aut dolore accidat; Si periodicus sit, & mensium, aut hæmorrhoidum vices gerat; pariterque parvi faciendus, si ab accidentali causa, exercitio nimio, gonorrhæa recenti &c. procedat, modo diu non perduret, neque in ulcus degeneret, aut humorum discrasiæ causa *tabem* minetur.

Quo ad partem affectam spectat minus periculosus est, qui ab urethra, aut pudendis scatet; magis admodum, qui a vesica procedit; omnium maxime, qui a *renibus* deducitur.

Criticus demum cruentus mictus febres ardentes solvit; sed in malignis febribus, exanthematicis, & *variolis* potissimum exitialis evadit.

Animadversiones physiologicæ.

Arteriæ, quæ renibus sanguinem præbent, ab aorta post mesentericam veniunt, ipsamque junctæ capacitate superant, numero tamen variant. Ab his nascuntur capsulares, quæ renum substantiam invadunt, ubi expedito transitu, ut aqua, & cera injecta demonstrant, sanguinem deponunt. Cruor in venulas ca-

psulares refluit, quæ in ampliores truncos magis constantes emulgentes dictos sanguinem reducunt: hi tandem in cavam exonerantur.

Posito enim hoc uberiori per venas sanguinis transitu facile ostenditur, quomodo ab ulcere, aut scabro calculo ipsis læsis pertinax oriatur cruentus mictus.

Vasa insuper vesicæ communia sunt cum iis, quæ genitales partes adeunt alibi perquirenda.

Praxis.

Generice ut in reliquis hæmorrhagiis *venæ sectiones* principem locum obtinent ex brachio quidem institutæ, tum ex iis partibus, quæ sanguinem fundebant.

Deinde Practici jubent diluentibus, refrigerantibus, atque subacidis remediis, urinarias vias expiare. Hujus indolis sunt emulsiones, serum lactis simplex, vel destillatum, decoctiones boraginis, portulacæ, lactucæ, nymphææ, tum agrimoniæ acetosæ, acetosellæ &c. pauco interdum *aceto* consociatæ.

His succedunt succi, aut decoctiones plantarum mucilaginearum, plantaginis videlicet, equiseti, *verbaci* &c. seminum psyllii; radicum symphiti, altheæ, gummi Arabico etiam, & Tragacantha copulatæ, atque ex eadem nati progenie *Trochisci Gordonii*, qui ab Auctoribus magnopere commendantur. Plantæ denique vulnerariæ, leviterque adstringentes potabili forma paratæ subsequuntur: tales

les sunt summitates hyperici, *Urtica viridis*, hedera terrestris, veronica, pimpinella, millefolium &c.

Lac tamen *ovillum*, aut vaccinum recenter mulsum, vel succis earum plantarum subactum, quotidie sumptum præ reliquis auxiliis utilissimum evadit. Denique in morbi decremento, aut in pertinaciore fluxu *aquæ thermales* accidulæ, & martiales cum lacte præsertim epotæ omnes indicationes implent.

Martialia tandem fortiora minus laudo; tum reliqua adstringentia, vitriolica potissimum, contemno, quæ admodum sensibiles harum partium tunicas vellicando, aut fluxum intendere, aut sanguinem in grumos figere valebunt: neque balsamica, terebinthinata, aliaque resinosa calidiora pharmaca multum prodesse Clinici observarunt.

Inter narcotica vero, atque anodyna, si quando conveniant, *hyosciamum* vehementer commendant, & ipsam camphoram. Sed Laudanum liquidum, & nepenthes, pillulæ de cynoglossa, & raro opium crudum frequentius etiam fortasse quam par est usuveniunt.

Præterquam quod animadvertendum erit singulam mictionis speciem in curatione aliquid sibi magis proprium postulare.

Etenim si mictus citra sphincterem, vel ex urethra tantum procedat *injectiones* opportunæ videntur, præsertim ex aquis thermalibus ferrugineis, quæ incassum in aliis casibus, vel cum detrimento adhiberentur.

Si Hæmorrhoides suppressæ mictum faciant,

hirundines juvant ano applicatæ; Si menses intercepti *saphenam* pedis secare jubent.

Si abscessus, vel ulcus, fluxum cruentum inducant, antequam vulneraria, ac subadstringentia exhibeantur, erit abstergentibus eliminanda sanies, *hydromelle* præsertim, & sub fine Butuæ decocto.

Ubi acrimonia peccet *lac* præ aliis remediis convenit.

Ubi diuturnum fiat stillicidium *aquæ thermales* prosunt affatim sumptæ.

Tandem si calculus scaber præsertim morbum producat, nisi excernatur, aut *cultro*, si grandior fuerit, *extrahatur*, difficillime mictus desistet.

Formulæ.

℞. *Ser. Lact. destill.* ℥. iv.
Suc. rec. exp. borag.
Flor. mal. a ℥. j.

In quibus dissolve ad modum emulsionis

Sem. quator frigid. s. p. ℥. ß.
Hyasciam. ℈. ß.
Gum. Arab. ℈. j.

adde

Laud. liquid. syd. gutt. vj.
Syrup. Cydon. ℥. ß.

m. pri-

m. primis diebus convenit ad refrigerandos, expiandosque urinæ meatus.

℞. *Folior. plantag.*

Urtic. virid.

Agrim. a. m. j.

Salv.

Flor. hyper. a. m. ſ.

Terræ japo. ſ. p. ℈. ß.

Cocq. in aq. font. ſ. q. ad tertiæ conſumptionem, & adde

Syrup. cydon. ℥. ß.

Decoctio hæc vulneraria identidem exhiberi poterit ad læſa urinæ organa leviter corroboranda, præmiſſis tamen venæ ſectionibus, & refrigerantibus diluentibus.

℞. *Aq. deſtill. Rhuſ. coriar.* ℥. iij.

Anthyſter. quercet. ℥. j.

Acet. deſtill. ℥. ß.

Confec. Alker. ʒ. j.

Laud. liq. Sydnam. gut. vj.

Syrup. myrtor. ℥. ß.

m. vel a plerisque magis commendata.

℞. *Aq. plantag.* ℥. iv.

Cynamom. Cydon. ℥. ij.

Acet. destill. ℥. ß.

Corallor. rub. pp. ℈. ß.

Laud. opiat. g. ij.

Syrup. granat. ℥. j.

m. fiat mixtura adstringens cocleatim sumenda, ubi a grandiori vasorum ruptura exuberans fluxus exitium minetur.

℞. *Aq. plantag.*

Vin. alb. generos. a. ℥. iv.

Alum. ust. s. p. ℈. j.

m. pro injectione.

Ipsa interdum convenit, modo citra sphincterem sanguis scateat. Sed trans ipsum, si labes existat, nulla proderit injectio.

Aphorismi
EX HIPPOCRATE.

Renum, aut vesicæ exulceratio a sanguinis, aut puris mictione significatur. *Sect.* IV. *aphor.* 75.

Qui-

Quicumque ſponte ſanguinem mingunt, his renibus venulam ruptam ſignificatur. *Sect.* IV. *aphor.* 78.

EX VILLESS.

Nephritici ſanguinem cum lotio ſæpe excernunt.

Auctores.

SYDNAMIUS, & *BRASAVOLA* } *ſpeciatim de mictu cruento egerunt.*
JUNCHERUS. tab. 10.

VII.

FLUXUS UTERI CRUENTUS.

HÆMORRHAGIA UTERINA. *JUNCKER.*

NOn omnis ex utero, aut vagina ſanguinis fluxus morboſus eſt, neque uteri hæmorrhagia ſemper vocari meretur.

Menſes enim fluunt provido naturæ conſilio ad redundantem ſanguinem eliminandum, qui pro fętu alendo deſtinabatur; ipſi tamen, cum modos valde excedant,

Menſes nimii dicuntur, qui tandem tractu temporis in uteri ſtillicidium, aut hæmorrhagiam deſinunt.

Fluxus gravidarum cruentus altera eruptionis ſpecies eſt, quæ ſub dejectione polypi,

molæ, aut immaturi germinis accidit; vel dum præpostere evellitur placenta, aut post fętus expulsionem, illius portio aliqua nondum perfęcte divulsa cum cruoris grumis in utero detinetur, quibus tamen semel rejectis hæmorrhagia plerumque brevi sistitur.

Uteri Hæmorrhagia tandem venit consideranda, quæ in uteri *stillicidium*, atque *veram hæmorrhagiam* dividi solet, de quo potissimum acturi erimus.

HÆMORRHAGIA UTERI.

FLUXUS MENSIUM NIMIUS. *SENNERT.*

ILla potissimum videtur, quæ communes plerasque cum ceteris hæmorrhagiis causas agnoscit, neque omnino ad menses nimios pertinet, nulla vero ratione ad gravidarum fluxum; Sed, vel a deleteria sanguinis indole, vel crebrius a peculiari *uteri labe* cum continui solutione dependet, frequenter in tabem, aut *hydropem* desinens.

Causæ.

Cum ex duplici vitio modo sanguinis, modo vasorum uteri hæmorrhagia produci soleat, Itaque

I. Sanguinis vitium facient plethora, vel naturalis, vel ob consuetæ alicujus evacuationis suppressionem aucta; tum scorbutica, venerea, aut tabifica humorum diathesis; ni-

mia

mia deinde ſanguinis rareſcentia ob calidorum acrium ciborum, aut ſpirituoſorum liquorum abuſus; tum etiam animi pathemata, quibus fit, ut cruor majori copia, aut velocitate in uterum irruat, ejuſdemque vaſa diſrumpat, vel pro *acrimonia* corrodat.

II. Ad Uteri læſiones pertinent vaſorum, ſive appendicum diſtractiones, dilatationes, varices, excoriationes, *lacerationes*, atque *ulcera*, quæ potiſſimum producuntur, quando mulieres polypos, molas, *abortus*, aut laborioſos partus paſſæ fuerint; præſertim, ſi in his circumſtantiis fętum, aut placentam extrahere pluries opus fuerit cum maxima ſanguinis jactura.

Similia pariter vitia parere poſſunt uteri, aut vaginæ procidentia, fluor albus, *gonorrhæa*, caſus, ictus, atque nimius coitus.

Tandem admonendum eſt huic morbo maxime eſſe obnoxias mulieres, quæ menſtrua magis, quam par erat, uberrima habere conſueverunt; tum illæ, quæ albæ ſunt, tactu molles, & ſucculento valde aut *aquidoſo* donantur corporis *habitu*; occaſione præcipue ceſſationis menſtrui fluxus.

Diagnoſis.

Ob multiplicem cauſarum complicationem, atque ſignorum ſimilitudinem, haud facile eſt hujus effuſionis ſingulas ſpecies rite diſtinguere: generice tamen gravidarum fluxum præter alia multa confirmatæ geſtationis indicia, de-

ſigna-

signare solent *dolores femora versus* protensi cum uteri aperitione, atque conatibus in fœtu expellendo propriis, tum maxima profluvii pertinacia, neutiquam remediis cedens.

Menses vero tantum immodici *aliquam* semper *periodum* servant, dolore carent, & continui læsione plerumque expertes sunt.

Ipsi enim a plenitudine, aut rarescentia derivabunt, si mulieres de cetero etiam in morbi statu satis *vividæ*, & rubicundæ perstiterint, atque post venæ sectiones prompte convaluerint.

A solidorum autem, & uteri præsertim lassitudine ipsos oriri credendum erit, si patientes, graciles, & fecundæ admodum fuerint cum *habituali albo fluore*, ut hæ facilius in hæmorrhagiam stillatitiam incidant.

Demum uteri hæmorrhagia erit dignoscenda, quæ *nullam periodum* observat, eaque semper continui solutionem prænuntiat.

Ipsa vel hæmorrhagia proprie est dicenda cum sanguinis inopinate, magno cum impetu, & *copiose*, quamvis per brevius tempus, erumpat, *summa* virium *prostratione*, syncope, aliisque teterrimis phænomenis subsequentibus; quod recentiorem labem, & grandioris vasis lacerationem significat.

Sed uteri stillicidium vocari debebit, modo fluxus modicus quidem, sed continuus, & *diutinus* sit; cruor vero *dilutus* a carnium lotura non absimilis stillet; quod leviorem sed vetustiorem læsionem indicat.

Juvat insuper animadvertere, cum fœdum ulcus,

cus, aut aliquid ſimile in cauſa ſit, aliqualem ſemper calorem, tenſionem, atque *dolorem* adeſſe, ſanguinem denique non ſolum ſtillatim fluere, ac *pure* interdum commixtum, ſed fœtentem, & ſanioſum album fluorem ſemper relinqui, quamvis cruentus ſubactus ſit.

Tandem uteri fluxus generice a mictu cruento diſtingui oportet.

In primo enim caſu, vel citra mictum plerumque, vel fimbriarum modo lotio *impermixtus* ſanguis fluit; in altero caſu cruor intermingendum urina *magis commixtus* ejicitur.

Prognoſis.

Omnis ex utero cruoris fluor plus minuſve pro effuſionis copia, aut diuturnitate valde periculoſus eſt; tamen qui partum ſubſequitur, placenta ſemel expulſa ſponte deſiſtit, neutiquam morboſus eſt; ſed non ita, qui abortum, molam, aut polypum ſequitur, præſertim, ſi utero ſauciata adhuc placenta adhæreat, ubi pertinax eruptio cito exanimare atque *mortem* non raro *inferre ſolet.*

Menſes nimii vero, ſi a ſimplici plethora, aut humorum rareſcentia dependeant, minus ſane periculi habent. At ſi ab uteri laſſitudine, aut ſanguinis diſcraſia derivent, admodum periculoſi ſunt, continentem perinde album fluorem relinquunt, aut in *uteri ſtillicidium* facile mutantur.

His

His itaque ſuccedit verum uteri ſtillicidium, quod longe periculoſum eſt, & vetuſtiorem, *curatuque difficiliorem*, quamvis leviorem, labem agnoſcit.

Hæmorrhagia denique uteri profuſa, omnium maxime periculoſa videtur; ea recentiorem quidem, ſed majorem læſionem, cum amplioris vaſis laceratione ſupponit: nihilominus niſi brevi pro maxima cruoris jactura mortem afferat, *ſtillicidio facilius curatur*.

Quilibet tandem excedens uteri fluxus pallorem, ſummam virium proſtrationem, extremorum frigus, crebras convulſiones, & lethales ſyncopes inducit: a quibus niſi pereant ægræ, in progreſſu ventriculi concoctio labefactatur, pedes œdematoſi fiunt, & in phlegmatiam, aut *Aſcitem* cum lenta febre frequenter incidunt, pars autem infirma in *cancrum* ſæpe degenerat.

In juvenibus tamen antequam ullus chronicus morbus superveniat cura vix unquam irrita fit, ſed in ſeneſcentibus plerumque *incurabilis* eſt.

Animadverſiones phyſiologicæ.

Vaſa, quæ multo ſanguine turgida uterum adeunt cum veſica, & recto inteſtino communia ſunt. Arterias enim primum præbet hypogaſtricarum inſignis ramus, qui a trunco umbilicali, vel proxime ſub ipſo prodit. Verum ab altero ſpermaticorum plexu pampiniformi trans pſoam muſculum derivant plures

rami, qui ad uterum descendunt. Denique Hemorrhoideæ mediæ propagines ipsum anterius investiunt. Venæ ejusdem nominis sunt, sed valvulis plerumque carent, quibus valeant copiosi refluentis sanguinis cursum auxiliari.

Præterea horum vasorum extremitates mirifice ita simul contexantur, ut unam pene naturam induant; in hujus retis vero ultimis propaginibus per intimam uteri faciem reptantibus plura extant foraminula cruore madida sub diverso nomine ab anatomicis descripta exitui dicata menstrui sanguinis, quæ Astrucius tunc in *appendices* extendi putavit.

Demum globosa corpuscula in utero habentur, quorum apud Auctores nomen multiplex est, & usus incertus.

Ea tamen idem nuperrimus scriptor *vermicularia vasa* appellavit, detexitque ipsa mensium periodiationi potissimum inservire, impediendo statis temporibus per venosum systema cruoris refluxum, donec ipse necessario per foramina illa aut dilatatas appendices effugiat.

Nil mirum ergo dum sanguis abunde in uterum transfertur, ubi exitui sibi paratas innumeras reperit vias, si ob universalem, aut partialem plethoram impediatur nimis per venas regressus, quod compressioni vermicularium Astrucius potissimum adscribit, vel ob continuum transitum acrimoniosi humoris ipse orificia, aut appendices extendat, dilaniet, atque infringat ita, ut vel uteri stillicidium, vel profusam hæmorrhagiam tunc producat.

Pra-

Praxis.

Si unquam caute incedere Medici eſt, hic certo ſummæ prudentiæ indiget, ubi uteri hæmorrhagiam confeſtim nimis ſiſtendo pejores facile morbos parere poſſet, quos ægrius patientes ſuſtinebunt, quam profuſam cruoris jacturam, quandoque tamen pro adſtantium querimoniis, ægrotantium metu, aut erumpentis ſanguinis copia validioribus auxiliis fluxum cohibere, vel ſaltem *moderare* oportebit.

Primum itaque ægris ſuadendum erit ut ſedulo animi turbas, motuſque corporis omnes evitent, neve lanæ aut goſſipio, ſed ſtraminibus, crinibus, aut *corio, marochino* dicto, incumbant: ea tamen ratione, ut clunes reliqui corporis reſpectu altius ferant.

His rebus peractis modo pulſus vegetes ſubſiſtant in illis præſertim, quæ plethorico, & ſanguineo donantur corporis habitu, ad *venæ ſectionem* quaſi ad ſacram anchoram erit confugiendum. Quidam enim primis diebus quarta quaque hora venam ſecari jubent; alii moderatiores ſunt, quare circa numerum, & quantitatem extracturi ſanguinis nil certi ſanciendum eſt, ſed prout temperamentum, ætas, pulſus, *vires*, & reliquæ circumſtantiæ poſtulaverint, vena plus, minuſve erit incidenda; at quoad locum ſpectat ex *brachio* potiſſimum ſanguis extrahendus videtur, crebro digito, ut Pratici docent, vulnus occludendo; præterea Hippocrates, aliique celeberrimi viri,

ri, incomodum ſane remedium, commendant, magnam nempe cucurbitam mammis appenſam, quam pro ſummo harum partium cum utero commercio revulſioni favere magnopere credunt.

Poſt venæ ſectiones gelatinæ ſtatim præſcribi ſolent medicamenti modo, modo nutrimenti loco cocleatim ſumendæ, quæ ex cornu C., ebore, ithiocolla, aut tendineis animalium partibus plerumque conficiuntur, eæque potiſſimum valebunt, ubi ſanguinis vitium in cauſa ſit: cavendum itaque eſt *ne plethoram reproducant*, quare in morbi decremento, ſive extra paroxiſmum magis convenire videntur.

Gelatinoſis ſubſtantiis ſuccedunt conſueti ſucci aut Decoctiones ex vulnerariis, ac ſubadſtringentibus plantis excerptæ, quas pluries in hoc tractatu propoſuimus. Liceat præterea animadvertere ſpeciatim ab Auctoribus hunc in finem commendari radices geranii roberciani, tormentillæ, biſtortæ, flores *ſcholymi ſilveſtris*, folia urticæ, vulnerariæ Genevenſis, myrti, pimpinellæ &c. quibus excoctis guttæ aliquot aquæ rabelli ad gratam aciditatem ſemper affundunt. At decoctionem *corticum aurantiorum* ſubviridium nunquam ſpem fruſtraſſe compertum eſt, ut *Hamiltonus*, pluresque alii affirmant.

Demum in pertinaciori uteri profluvio ad bolos adſtringentes etiam recurrunt ex ſuccino, maſtice, acaccia, ſanguine Draconis, alumine, aliiſque obviis adſtringentibus paratos ſæpe opii crudi momentum addendo; his

tamen

tamen præcellunt *Æthyops vegetabilis* ; & *specificum Helvetii*, quæ communi auctoritate, & experientia fulciuntur.

Neque martialia sunt contemnenda, quæ in uteri stillicidio magis profecto idonea sunt ; at a vitriolicis spiritibus, qui uterum admodum sensibilem immaniter lacessunt, omnino cavendum erit.

Cordialia etiam quandoque sunt profutura, præsertim cum fluente sanguine syncopes frequenter superveniant, sed *minus spirituosa* eligi debent, & mitioribus anthystericis, atque paregoricis consociata.

Non reticebimus tandem nonnullos testari in quibusdam circumstantiis, ubi præsertim peccabant primæ viæ vomitum, alvum, aut sudorem movere, utile evasisse ; sed hi rari casus raro distingui possunt, ceteroquin dubiam hujusmodi medendi rationem plerumque nocituram censemus.

Reliquum est, ut externa remedia breviter proponamus, quæ plerumque futilia, semper vero molesta evadunt, & minus a Medicis, quam ab Agyrtis, aut mulierculis in extremo casu impendi solent.

Ligaturæ primo se se offerunt ad malleos, carpos, aut digitorum phalanges, quibus putant venosi sanguinis refluxum intercipi, quamvis uterum intrent innumeræ aliæ vasorum propagines, quæ cum compressis venis nullum commercium habent. Lumbis vero, umbilico, aut pudendis emplastra, aut cataplasmata applicant ex fuligine, gypso, ani-

ma-

malium fimis, alumine, & ſimilibus cum vino rubro, aceto, & albumine ovorum ſubacta; nix pariter, glacies, & alia gelida admovent? quæ omnia uterum verſus ſanguinem magis impellunt, fluxumque proinde intendunt; his enim potius lintea frigido *oxicrato* ſimpliciter imbuta, aut injectiones ſubſtitui poſſunt ex vino rubro, aqua veterinariorum, infuſo roſarum, *ſucco plantaginis*, vel pauco ſimul alumine confectæ, quæ tamen niſi caute adhibeantur ſanguinem facile in grummos intra uterum figere valebunt, & teterrima proinde phœnomena excitare.

Ad dietam quod attinet tenuiſſima quidem eſſe debet, ex juſculis, cremoribus, emulſionibus, gelatinis, *minus denſis* tamen, & decoctionibus radicum, althææ, ſymphiti, boraginis &c. commixtis; potus vero ſubacidus leviterque adſtringens frigidiuſculus hauriri debet ex oxicrato, ribeſiis, oxalide, omphacio, aut infuſo roſarum, granorum Kermes, aut punicorum paratus.

Uberiori ita ſedato cruoris profluvio diuturnum plerumque ſupereſt *ſtillicidium*, quod ubi ab humorum acrimonia dependeat, maxime poſtulat continuum lactis uſum, tum decoctiones corticis Peruviani, aut *aurantiorum viridium*, quæ ſummum emolumentum præſtabunt; itemque *aquæ thermales*, & aliqua mitiora chalybeata proderunt. Suffumigia etiam per ſellam familiaricam in uterum recepta ex thure, maſtice, terebinthina uſtulatis

usuveniunt; cibumque gelatinosum crassiorem exhibere fas est.

Tandem si fœdus ulcus morbum faciat, antequam corroborantia adhibeantur, abstergentia opportuna sunt, videlicet ptysanæ ex melle, & salibus mediis paratæ, julapia *terebinthinata*, butuæ decoctum, & in fine curationis balsamica etiam non sunt adspernenda.

Formulæ.

℞. *Cortic. aurant. subvirid.* n. vj.

bullient in

Aq. Font. ℥. xvj.-xx.

Ad tertiæ consumptionem, & adde

Syrup. Cydon. vel

Cort. Aurant. ℥. j.

Capiat æger dimidium mane, reliquum vespere cum in profusa, tum in stillatitia uteri hæmorrhagia.

℞. *Aq. plantag.* ℥. iij.

Anthyst. ℥. j.

Confect. Alcher.

hyacinth. a. ℈. j.

Syrup. Cortic. aurant. ℥. ß.

m. f.

m. f. cordial. cocleatim in ſyncope propinandum.

℞. *Amyll.* ℥. j.

Gumm. arab. ℥. ß.

Alum. rupe. ſ. p. ℈. ß.

Diſſolve in

Aqu. plantag. vel

Succ. expreſ. Urtic. ℥. vj.

pro uſu injectionum.

Aphoriſmi.

EX HIPPOCRATE.

MOrbus hic ſæpe fit ex abortu. *De Morbis mulier. II. V.* 11.

Fit pariter cum menſes multo tempore detenti de repente eruperint. *ibid.* 12.

Si fluxui muliebri convulſio, aut animi deliquium ſuperveniat, malum. *Sect. V. aphor.* 56.

Auctores.

ASTRUCIUS. De morb. mulier. lib. 1. cap. 9.

PASTA. Discorso intorno al flusso di sangue dall' utero delle donne.

SANTORINUS. De Catameniis Dissertatio.

VIII.

HÆMORRHOIDES.

FLUXUS HÆMORRHOIDALIS. *NEOTERICOR.*

VArices sunt venarum ani, quæ, positus ergo, modo *externæ*, modo *internæ* dicuntur: ipsæ vero, vel *cæcæ* sunt, & ad vasorum tumores, aut alia vitia magis pertinent, quam ud Hæmorrhagias; vel *fluentes*, quæ ad hoc morborum genus attinent. Hæ denique aliæ *criticæ* sunt, vel *boni moris*, quæ morbos nonnullos acutos solvunt; vel *mali moris*, quæ chronicos alios intendunt; aliæ *spontaneæ*, periodicæ plerumque, & salutares, quæ a morbis pluribus præservant; aliæ tandem *nimiæ*, quę morbum faciunt, de quibus primo erit sermo; *suppressæ* tandem, quas ultimo obiter indicavimus.

HÆMORRHOIDES NIMIÆ.

HÆMORRHOIS IMMODICA, *SAUVAG.*

ILlæ ſunt, quæ pro ubertate, *diuturnitate*, aut frequenti recurſu ſanguinei fluxus modos excedunt, & in lethales morbos degenerare minantur.

Cauſæ.

Remotæ. Ad Hæmorrhoides diſponunt natalis ſoli magnus æſtus, ſimilis parentum labes, temperamentum ſanguineum, aut *melancholicum*, vita mollis, & ſedentaria, vel nimia etiam equitatio, aut quidquid lumbarem regionem valde calefaciat. Denique menſium, aliarumque ſeparationum, ſegnities.

Proximæ, una, & *conjunctæ*, quæ in diſpoſitis fluxum excitare ſolent, ſunt difficilis ſanguinis refluxus per Hæmorrhoidalia vaſa, eorumque magna turgentia, laborioſus partus, moleſta fœcum excretio, atque continuus attritus, quo in dies venarum fibræ jam labefactatæ tandem diſrumpuntur. Sed maximi intereſt admonere fluentes hæmorrhoides ſæpe oriri, atque confirmari a pertinaciori menſium, aliarumque conſuetarum excretionum ſuppreſſione, ab humorum ſolutione, aut ab *acrimonia ſcorbutica* potiſſimum; tandem a viſcerum abdominis, ſed hepatis præſertim obſtructione.

Diagnosis.

Fluxum hunc immodicum prænuntiant vertigines, calor quidam internus, tormina mitiora, febris etiam interdum, sed potissimum *dorsi*, *&* *ossis sacri* dolor, atque artuum inferiorum stupor, ipsum vero comitatur color faciei citreo-virescens.

Hujusmodi insuper fluxus a vulgari dysenteria, ventris doloribus, tenesmo; atque *fœculento* simul stillante *latice* satis distinguitur, pariterque a dysenteria sic dicta scorbutica, in qua indiscriminatim *ante*, vel *post* alvi solutionem sanguis fœcibus, & mucis quam plurimis remixtus continuo erumpit; at Hemorrhoides, etsi nimiæ plerumque non fluunt, *nisi prius excrementa prodierint*, a quibus sanguis ater primo, deinde purus, rutilus, & sine dolore exit.

Prognosis.

Hanc sanguinis jacturam, quamvis nimiam, ægri ceteris hæmorrhagiis facilius ferunt, mulieres præsertim, in quibus ipsa mensium vices frequenter gerit: attamen si modos valde excedat, tractu temporis languorem, cachexiam, febrim lentam, tabem, & *hydropem* parit, pars autem affecta in abscessum aut *fistulam* degenerat.

Ani-

Animadversiones Physiologicæ.

Sanguini refluxuro impedimento sunt venarum meseraicarum compressio, lassitudo, atque tortuosus gressus, antequam in venam cavam influant; tum in hæmorrhoidalibus vasis valvularum absentia, quæ in reliquis venis sanguinem sustinent, & parietum distensionem impediunt; tandem motus muscularis defectus, qui in aliis partibus sanguinis motum non parum accelerat.

Praxis.

Difficillimum est determinare, quamdiu cunctari oporteat, antequam fluxus hæmorrhoidum nimius sistatur, nam quamvis immodicus, & habitualis appareat, modo ægri vires valde non infringat, neque tabem, aut hydropem proximam minetur, priusquam efficacioribus auxiliis, adstringentibus præsertim medicamentis utamur, leviter internæ causæ erunt removendæ, *viscerum* nempe *infarctus* mitioribus deobstruentibus, aut *sanguinis solutiones* incrassantibus adhibitis remediis. At si modum prorsus excedat, ut brevi pejorem, & lethalem morbum prænuntiet, ei primum *venæ sectionibus* ex brachio quidem institutis ducimus occurrendum; dein cucurbitulis scapulis admotis, ut sanguis revellatur. Ligaturæ etiam artuum superiorum usuveniunt, frictiones tamen, & calidi fotus utilius adhibentur.

Ad interna, quod attinet remedia, præter communem cum ceteris hæmorrhagiis medendi rationem, *alvum* primo *laxam ſervari* Practici jubent, mitiora lenientia ex ſubacidis fructibus deprompta exhibendo, inter quos *Tamarindos* potiſſimum præſcribunt, tum ſimilia clyſmata injiciendo non ſolum ut emollitis fœcibus ad annum minuatur affluxus, verum etiam, ut ſpecifica eorum virtute fluxus nonnihil compeſcatur; quibus præmiſſis remedia propinari poterunt ex mucilagineis, incraſſantibus, leviterque adſtringentibus ſubſtantiis parata, videlicet: ex burſa paſtoris, polygono, plantagine, pſyllio, pimpinella, *urtica viride*, radice biſtortæ, & canna montana, viſco quercino, cornu cervi; eaque modo chalybeata, modò lacte permixta: *Lactis* tamen ſimplicis *uſus* magni faciendus eſt, cum plerumque ab humorum acrimonia, eorumque ſolutione diuturnus fluxus dependeat; poſtea cibi incraſſantes, & gelatinoſi magnopere prodeſſe ſolent cum cremoribus, aut juſculis oryzarum, hordei, avenæ, aut ex roſtro vitulino, cerebro vervecino, teſtudinibus, *ranis*, aliiſque ſimilibus ſubactis.

Hypnotica interdum etiam opportuna ſunt ad ſanguinis orgaſmum, aut dolorem ſedandum, ſi quis adeſſet, itemque camphora, alkekengi, & hyoſciami ſemina in hoc morbo principem locum obtinere ſolent.

Porro validiora adſtringentia nunquam pene intus præſcribi ſolent, quæ etſi imperiti credant a fluxu immodico poſtulari, vel præpo-

ſtere

ſtere ipſum ſiſtunt, alias devoluto ſanguine; vel fœces indurando intendunt.

Extrinſecus pariter ſtyptica nocent, ac niſi extremo caſu, Syncope imminente, mitiora applicari poterunt ex ſuccis urticæ, plantaginis, equiſeti, baccarum myrti, roſarum rubrarum, vel gummis, maſtice, aut ſanguine Draconis parata. Ego tamen pluries expertus ſum fomentum ex *cortice Peruviano* chalybeatum, tum in cæcis ad robur laxatis vaſis reſtituendum, cum in apertis hæmorrhoidibus ad fluxum imminuendum mirum in modum profuiſſe.

Non reticebimus tamen nonnullis utiliter familiare eſſe ſuccum expreſſum ſedi majoris, ſcrofulariam, ebulum, vel fuliginem cum ovorum albumine, & aranearum telis ſubactam.

Denique ſi Chirurgi operam morbus, vel æger poſtulet, venæ erunt acu curva filo deligandæ *una* ſemper *ſervata aperta*, ſed ſi in fiſtulam degenerent abſolute erunt *ferro ſcindendæ*, antequam ſinus producant, de quo *vide HEIST.*

Satis tandem fluxu imminuto ejuſdem regreſſus venæ ſectionibus bis, terve in anno reiteratis, & aquarum martialium, atque accidularum moderato uſu facile cohibebitur.

Formulæ.

℞. *Pulp. Tamarind.*

Prunar. damaſcen. a ℥ vj.

m. f. ſ. a. Pulmentum

Identidem exhibetur, ut alvus laxa ſervetur

℞. *Rad. can. Montan.*

Lign. viſc. quer. a ℥ ij.

Ebur. raſ. ʒ. j.

m. & c. ſ. aq. q. f. decoctio, cui adde.

Syrup. Cydonior. ʒ. ij.

Interdum exhibetur quotidie mane ad humorum craſim nonnihil corrigendam leniterque ipſos inſpiſſandos, modo fluxus ſinat.

℞. *Tartar. vitriolat.* ʒ. j.

Rhab. elect. ℈. j.

Extrac. marub. alb. q. ſ.

m. f. b.

Boli

Boli hujusmodi identidem conveniunt cum suspicemur viscerum obstructiones fluxum detinere, & deobstruentium usus conveniat.

℞. *Camphor. ras.* g. iv.
Laud. Cydoniat. g. ij.
Syrup. de Mecon. q. ß.
m. f. B.

Pro hypnotico si horum remediorum opus sit,

℞. *Unguent. popul.* ℥. ij.
Cocinel. s. p. ʒ. ij.
Sacbar. saturn. ʒ. j.
Ole. Hyperic. q. ß.

m. f. in mortario plumbeo linimentum bombice applicandum.

℞. *Cortic. peruv.* s. p.
Cascarill. s. p. a. ℥. j.
Limatur. Chalyb. ʒ. ij.

Cum suf. aq. q. ebulliant ad tertiæ partis consumptionem.
f. fotus ad fluxum imminuendum satis efficax.

Apho-

Aphorismi.

EX HIPPOCRATE.

ULtra adolescentem ætatem . . . . atque hæmorrhoidibus sunt obnoxis. *Sect. III. aph.* 30.
A diuturnis hæmorrhoidibus curato, nisi una quæpiam servetur aperta, periculum Hydropis vel tabis impendet. *Sect. VI. aphor.* 12.

EX CELSO.

. . . ab hæmorrhoidibus curati quidam, cum exitum non haberet sanguis, inclinata in præcordia materie, gravissimis morbis correpti sunt. *lib. VI. cap. XIII.*

Auctores.

HIPPOCRATES & SOLENANDER } *De hoc affectu fusius pertractarunt.*
HEISTERUS tum in pratico, cum in Chirurgico tractatu.
SCARDONA. Lib. III. cap. VII.

HÆMORRHOIDES SPONTANEÆ.

HÆMORRHOIS CATAMENIALIS. *HIPP.*

HUjusmodi sanguinis effusio a cruoris redundantia potissimum procedit, vel ab imminuto aut suppresso alterius generis consueto fluxu; sanos de cetero quoad humorum qua-

qualitates homines aggreditur, ut facile *periodo*, vivido faciei colore, *temperamento sanguineo*, bono corporis habitu, antecedentium historia a nimio, & morboso fluxu distinguatur.

Ipse enim statis temporibus quasi naturæ molimen redundantem sanguinem excernit, vitam incolumen servat, & a multis morbis defendit; præsertim a vertigine, melancholia, Hypochondria, pulmonum inflammatione, affectibus cutaneis, & aliis quam plurimis, quibus fiunt obnoxii ægri, vel in aliud cruenti fluoris genus commutatur, si perperam sistatur.

Quapropter nullam plerumque salutaris hæc excretio medelam postulat; quinimo servari debet; vel tandem blando leniente moderari, ex fructibus subacidis, tamarindis præcipue, desumpto, aut aliqua refrigerante decoctione boraginis, lactucæ, seminum frigidorum, avenæ temperari.

Tamen si a devolutis mensibus dependeat, mitioribus emenagogis ipsi blande revocari poterunt, at si reverti renuant ab opere potius erit desistendum.

Aphorismi.

EX CELSO.

QUi ab Hæmorrhoidum fluxu imbecilliores non fiunt, habent purgationem non morbum. *lib. VI. Cap. XIII.*

EX LOMM.

Cui maturæ fluunt hæmorrhoides hunc neque lateris inflammatio, neque .... tentare ſolet. *Obſerv. medic. lib.* II. *pag.* 154.

HÆMORRHOIDES CRITICÆ.

ILlæ ſunt, quæ in acutis ſupervenientes fomitem morbi quantitate, & qualitate peccantem per hanc viam eliminando ſanitatem reſtituunt; tali pacto enim auferunt *inſaniam*, melancholiam, hepatitim, nephritim, ceteroſque renum affectus.

Nihello teſte ipſas ne *pulſus dicrotus* prænunciat? At ſi in chronicis morbis ſupervenerint in vetuſtioribus præſertim viſcerum abdominalium obſtructionibus, ſcirrhis, cachexia, aut *hydrope* exitiales evadent.

Illis ergo præpoſtere, his incaſſum mederemur.

Aphoriſmi.

EX HIPPOCRATE.

ATra bile vexatis, & renum paſſionibus hæmorrhoides ſupervenientes bonum. *Sect. VI. aphor.* 11.

Inſanientibus, ſi hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio. *Sect. VI. aphor.* 21.

HÆMORRHOIDES SUPPRESSÆ

Hæmorrhoides tum ſpontaneæ, cum nimiæ vel inſcienter ſtypticis adhibitis, vel ſponte ſupprimi poſſunt. Utræque in hoc caſu, vel aliud Hæmorrhagiæ genus, vel alios teterrimos morbos parere ſolent; *hydropem* tamen crebrius: non ſolum, quia humorum aufertur æquilibrium, verum etiam quia materies morboſa hic, vel illic ſubſidet; minus tamen incommodi afferunt, ſi in narium hæmorrhagiam, aut in uberrimos menſes commutentur, quibus plerumque deſtituentur, hæmorrhoidibus continuo laborantes.

Itaque præter hos poſtremos caſus, quomodocumque ſupprimantur hæmorrhoides novam aperitionem exigunt.

Id obtinebitur venam ex pede primum incidendo, mox hirudines ano admovendo, tum lenientia cum rhabarbaro exhibendo, clyſmata emollientia injiciendo; verum etiam partem acribus fricando, videlicet lacte foliorum ficus, aut tithimali; quæ, ſi non ſufficiant, ſuppoſitoria uſuveniunt ex diagridio, ſappone, hierapicra, pulvere colocynthidis, ſalibus catharticis, & melle ſimul parata. Hæc tamen remedia apte *moderari* debent, ne partes inflammentur.

Apho-

Aphorismi.

EX LOMM.

TUm hæmorrhoidibus etiam nimium suppressis commodum est, aut menstrum erumpere, aut sanguinem ex naribus ferri. *Obser. Medic. Lib. II. pag.* 155.

Auctores.

GORTER *in medicin. hippocrat, aphor.* 277. *utiliter perlegendus.*

IX.

HÆMORRHAGIA INTESTINORUM.

FLUXUS HEPATICUS, *AUCTORUM.*

AUctores perperam hunc affectum confundunt cum reliquis alvi fluxibus cruentis, qui ad Hemorrhagias minime pertinent.

Intestinorum enim hæmorrhagia ea est, in qua sanguis ob communes cum ceteris hæmorrhagiis causa *sine torminibus*, sine febre plerumque, neque fœcibus necessario remixtus sponte dejicitur; non vero dejectio illa, in qua cruentum laticem impuri corrodentes succi in intestinis multiplici de caussa congesti ab erosis ab ipsis sanguineis vasculis cum *sæ-*

vissi-

viſſimis ſimul *cruciatibus* per anum ſecum ferunt ut in dyſenteriis frequens eſt.

Cauſæ.

Univerſalis itaque *plethora* hunc fluxum potiſſimum inducit, tum illa, quæ oriri ſolet a membri alicujus amputatione, a prima geſtatione in recens nuptis, a menſibus, aliiſque ſimilibus evacuationibus ſuppreſſis, vel ab ommiſſione conſuetarum venæ ſectionum; idem pariunt inæqualis per imum ventrem ſanguinis diſtributio, ejuſdemque ob viſcerum obſtructiones, tumores, aut abſceſſus interceptus circuitus; itemque venena corrodentia, aut cathartica violentiora. Frequentiſſima tandem habitualis hujus dejectionis dyſenteriæ ſcorbuticæ tunc vocatæ cauſa eſt *diatheſis ſcorbutica* ſanguinis, ob quam cruor valde dilutus per minima inteſtinorum tenuium ſanguifera vaſa continuo effugit.

Diagnoſis.

Hujuſmodi fluxum a dyſenterico facile diſtingui jam paullo ſuperius vidimus; in hoc enim *tormina* ſemper, & febris plerumque adſunt cum interno calore, teneſmo, atque aphthis haud infrequenter; ſanguis vero in ſtrias diſtinctus, & mucoſis aut bilioſis fœcibus magis conſociatus fluere ſolet. Non ita quidem accidit in hæmorrhagia inteſtinorum, ubi *nullum* plerumque *dolorem*, nullamque fe-

brim patiuntur ægri, ſed cruor ſponte ſtercore impermixtus continuo ſtillat.

Inſuper varia phœnomena veniunt perpendenda, quæ magis peculiariter hujus dejectionis originem diverſam manifeſtant.

Suſpicari enim licebit ab amplioris vaſis laceratione fluxum oriri, ſi *copioſus* magis, & rutilus ſanguis effluat; a membri vero alicujus amputatione, ſi *ſubito* abunde prorumpat, ſubito deſinat, & niſi poſt longum intervallum ipſe recurrat; a menſibus, aliiſque evacuationibus ſuppreſſis, ſi dejectio modica quidem appareat, ſed aliquam *periodum ſervet*; ab obſtructis denique abdominis viſceribus, vel alio modo labefactatis derivare, ſi grumoſus, nigricans valde, & cum *vomitu* interdum *cruento* ſanguis ſe prodat, vel ſimul fœtens, ſanioſus, aut poraceus dejiciatur, aut ſi interdum hæpatitim, jecoris ſuppurationem, vel præcordiorum dolorem ſubſequatur. At hæc poſtrema effuſionis ſpecies difficilius detegi poteſt, facilius cum dyſenteria confunditur; ipſa tamen videtur verum fluxum hepaticum Veterum conſtituere. De qua vid. ***LOMMIUM*** *obſerv. medic. pag.* 159. In ſcorbuticorum tandem cruenta dejectione, quæ frequens magis eſt, præter reliqua ſcorbuti indicia cruor *dilutus*, & a carnium lotura haud abſimilis citra ſedes abſque ulla ſenſibili moleſtia *continuo* funditur.

Pro-

Prognosis.

Minus porro hic affectus periculi habet, si *a simplici plethora*, evacuationum suppressione, aut exilioris vasis læsione originem ducat, sanguis vero exigua copia per breve spatium, atque a naturali conditione parum mutatus erumpat; non ita tamen, ubi diu, copiosus, aut nigricans valde eijciatur, tum *a grandioris vasis laceratione*, scorbutica lue, aut *vetustiori jecinoris labe* procedat, quo in casu, vel ob maximam cruoris fusionem mortem brevi inferet, vel hydropem pariet.

Animadversiones Physiologicæ.

Arteria mesenterica superior tenue intestinum, inferior vero crassum irrigat: venæ, quæ sanguinem revehunt, sunt mezaraica magna *VVinslovii*, & parva ejusdem nominis hæmorrhoidalis interna etiam dicta: ipsæ venam portam intrant, ubi splenica confluit, & postquam sanguis hepatis circulum subierit per hepaticas venas in cavam tandem refluit, ut hoc absoluto circulo bis arteriosus, & bis venosus evadat.

Experimentis constat coloratum humorem per aortam impulsum citius, & majori copia in intestinorum cavum quam in alias corporis partes transfundi.

En positis sanguinis redundantia, nimia velocitate, vel summa etiam ejusdem tenuitate,

præfertim hepate obftructo, quomodo facilius in inteftina cruor demittatur, quam in alias partes, vel faltem cruentum ferum ipfe deponat.

Liceat hic obiter animadvertere nondum certo innotuiffe vias fanguinis, aut puris ab hepate ad inteftina tenuia, nifi per vafa biliaria id contingeret, quod legibus œconomiæ animalis adverfaretur: quamvis tamen Veteres clinica obfervatione ducti plures alvi cruentas dejectiones, & indolentes ab hac transfufione deducant.

Praxis.

Pratici vel nullam hujus morbi fpecialem medelam tradiderunt, vel illam dyfenteriæ adoptarunt.

Si a Plethora enim dependeat, ut frequenter accidit, & cum uberrima cruoris jactura hæmorrhagiæ indolem fluxus præfeferat, venam fecare neceffum erit *ex brachio* primum, deinde ex locis ad revocandas fuppreffas evacuationes magis idoneis: poftea tum a fœcali fentina, cum a fanguine ibi facile concrefcente primas vias expiare oportebit, lenientia exhibendo ex pulpa tamarindorum, caffiæ, paffularum, aut prunarum fubacta, quæ una aciditate fua læfam partem firmare valeant: validiora ceteroquin purgantia, *ipecacuanha* præfertim, funt omnino profcribenda, quæ potius hæmorrhagiam intenderent.

Infuper præter emulfiones, ceteraque refrigerantia, quæ in morbi decurfu affatim bibere

re fas erit, *gelatinosæ substantiæ* hic magis conveniunt, quæ sauciata vasa immediate obliniendo utiliores evadunt, quam in reliquis hæmorrhagiis. Hujus generis sunt gelatinæ ex *cornu cervi*, ebore raso, vel oculis cancrorum paratæ; tum, quæ ex rostro vitulino, aut vervicino, aliisque tendineis animalium partibus conficiuntur, clysmata pariter similia inijciuntur, quæ tamen ad tenuja intestina non pertinguunt, ubi morbi sedes plerumque est.

His denique succedunt plantæ vulnerariæ, atque resinosæ substantiæ, ex quibus modo decoctiones, modo pulveres adstringentes parari solent. Tutius tamen operi cedit simplex *haustus subacidus* quotidie sumendus ex ribesiis, prunis, rubis, aut similibus subactus. Vel si æger pro maxima sanguinis jactura valde periclitetur, ad succum urticæ viridis, vel ad modicam dosim *cap. mort. laud. liquid. syd.* aut Æthiopis vegetabilis erit confugiendum: tum vapores terebinthinæ ustulatæ per sellam familiarem accepti, atque in morbi decremento decoctiones corticis Peruviani sæpe haustæ prodesse solent; præterea aluminosa, vel alia efficaciora adstringentia raro necessaria, vix opportuna sunt.

Ubi vero scorbutica lues habituale hujusmodi stillicidium producat præter reliqua antiscorbutica remedia, quibus primo sanguinis acrimoniam subigere oportet, *assidui lactis usus* potissimum videtur; tum decoctiones *trifolii aquatici*, atque corticis Peruviani utilissimæ

evadunt ; demum in morbi progreſſu aquæ thermales acidulæ , atque ferro imbutæ magnopere conferent.

Tandem ſi fluxus a viſcerum labe , aut peculiari jecoris vitio originem habeat , niſi prius blandis deobſtruentibus , aliiſque congruis remediis illud abſtulerimus , fruſtra ſanguinem ſiſtere tentabimus . Hic juvant ſtirpes hepaticæ dictæ : nempe trifolium hepaticum , ſcolopendra , centaura minor , chelidonium &c. fortaſſis .

Formulæ .

℞. *Corn. C.*

Ebur. raſ. a. ℥. j.

cum

Aq. plantag. ſ. q.

f. gelat. & ante congelationem adde

Syrup. Roſar. ſiccar. ℥. ß.

m. pro uſu .

Capiat cocleatim in morbi decurſu ubi magis convenit , quam in dyſenteriis , ceteroquin vide formulas ad vomitum cruentum indicatas .

Apho-

Aphorismi

EX HIPPOCRATE.

QUi præcordiorum doloribus, oris ventriculi, jecoris, ac earum, quæ ſunt circa umbilicum partium conflictantur; cruenta alvi dejectiones liberantur, ſecus moriuntur. *coac.* 295.

Auctores.

LOMMIUS. Obſervat. medicinal. pag. 159.
LIETAUD. præcis de la medicin. livr. 1. *Sect. IV.*

X.

HÆMORRHAGIA EXTERNA.

HÆMORRHAGIA A VULNERE. *BOERAV.*

QUomodocumque acuto, vel duro corpore ſanguifera vaſa maxima, vel minima ſecentur, cruor ſtatim ex vulnere manat.

Sauciata vaſa modo *venoſa*, modo *arterioſa* ſunt, de ruptis venis, quæ minus medicum implicant, infra dicemus, ſed hic potiſſimum perpendi debet

HÆMORRHAGIA ARTERIOSA.

EX arteriis disectis, si minimas excipias, sanguis cum impetu, atque *saltu* tanta copia continuo erumpit, ut nisi efficacioribus auxiliis fluxus prompte sistatur, æger cum sanguine simul vitam amittat.

Causæ.

Præter vulnera, quæ multiplici genere armorum incidentium, secantium, aut contundentium infligi solent, arteriæ scindi possunt, vel ab imperiti Chirurgi manu, dum *venam incidet*, aneurisma pro tumore perperam habitum aperiet, vel aliud opus inscienter tentare audebit, vel a perito etiam professore, dum necessario sub penis, testis, aut membri alicujus amputatione; tum casu fortuito, cum sub lapidis, polypi, dentium, aut fistulæ extractione in vas satis amplum arteriosum incurrat.

Insuper cruorem arteriæ fundunt, vel cum aneurismata colli, brachii aut cruris sponte disrumpantur, vel cum ipsa Chirurgico cultro abscindi velint.

Diagnosis.

Sanguinem non a venis, sed ab arteriis venire denotant ejusdem velocitas maxima, *coccineus color*, *parabolicus saltus*; systoli vasis re-

respondens, atque in coercendo fluxu per obvia auxilia maxima difficultas.

Prognosis.

Si arteria, perquam levissime pungatur, ut nulla sanguinis stilla prosiliat, parietes tamen dilatabuntur, & *aneurisma verum* producetur. Si paullo amplius vulneretur vas, ut cruor extra parietes exeat, *aneurisma spurium* generabitur: videlicet sanguis per textum cellularem disperdetur, ut livorem, tumorem, dolorem, sphacelum tandem cum lethalis hæmorrhagiæ periculo inducat.

Longitudinaliter, vel oblique, sed non omnino arteria incisa, ut utrinque in se retrahi nequeat, *perpetuam* pariet *hæmorrhagiam*, & lethalem quidem, nisi Chirurgico opere vulnus firmetur.

Arteria autem neque admodum ampla, neque multum cordi propinqua, si transversim omnino scindatur utrinque retrosiliens, atque inter solida vicinia se recondens sibimet obturaculo est, citius sanguis sistitur, *facilius curatur*, minusque periculi habet.

Demum si tota transversim major arteria, & cordi magis propinqua recisa fuerit, continens oritur ad animi, vel vitæ defectum sanguinis profusio, quæ difficillime compescitur; & partes, quæ ab ipsa sanguinem recipiebant, vel arescunt, vel crebrius putrescunt, & in *lentam gangrenam abeunt* (ex magno *BOERAVIO* hæ plerumque habentur). Generice tan-

tandem hujusmodi uberiores fusiones statim subsequi solent, timor, pallor, tristitia, extremorum frigus, sitis, singultus, atque *crebra convulsio*.

Si modica fuerit cruoris jactura, & in sano ceteroquin homine contingat, sanata parte, brevi ipse idoneis nutrientibus adhibitis amissum sanguinem reparabit: at si maxima, & pertinax fuerit, atque in male affecto occurrat subjecto, æger facile etiam fluxu coercito in *tabem*, marasmum, aut hydropem incideret.

Animadversiones physiologicæ.

A sinistro cordis ventriculo ad finem pene cujuslibet arteriæ continuatus canalis est conicus, elasticus, partim longitudinalibus, partim circularibus contractilibus fibris ita contextus, ut vacuus etiam parietes non congruant: per ipsum continenter percurrit sanguis, qui duplici vi movetur, altera cordis, altera tunicarum. Cor quem in diastole continuo recepit a toto corpore cruorem reducem in sistole sua per hunc canalem, qui tunc diastolem patitur, continuo propellit; sed idem canalis ob propriam contractilem facul-cultatem in sistolem statim se contrahens eo magis accelerat sanguinis motum, ut ex virium hæc successiva compositione persistens oriatur sanguinis fluxus, donec ex corpore per venas in cor erit reducendus cruor.

En quomodo semel arteria satis ampla dise-

secta, nisi mechanica vi occludatur, aut margo coalescat, continens fiat ad mortem usque sanguinis jactura.

Praxis.

Curatio in sanguine cohibendo potissimum consistit: venæ sectiones tamen, quas in reliquis hæmorrhagiis frequenter commendavimus, hic *frustraneæ* videntur; nisi exigua sit arteria desecta, aut sanguinis redundantia supersit nondum per vulnus satis imminuta. Quare ad externa auxilia erit confugiendum, quæ fluentem sanguinem coagulando, aut *vas* immediate *occludendo* cruoris cursum intercipiant. Primo itaque se offerunt

Adstringentia, sed vix ullam utilitatem præstant, nisi concisa vasa minima fuerint, aut valida simul accesserit compressio. Inter ea tamen nonnulli magni faciunt fungum ignarium, oleum Terebinthinæ, tincturam Chalybis tartarizatam, opium crudum, atque calidum *Alcohol* vulneri applicatum.

Compressio adstringentibus succedit, qua modo ampla admodum non fuerit vulnerata arteria, prompte obtinebitur hæmorrhagiæ suppressio. Ipsa instituitur *nummum*, laminam metallicam, vel splenium ex charta masticata, aut linteis carptis confectum vulneri applicando, deinde fasciis circumductis apparatum valide comprimendo; sed hunc in finem pulcherrimum instrumentum *Celeb. Petitus* nuper invenit, cujus ope cito tutoque quælibet arteria

teria comprimi, atque deligari poteſt; *vid. in Act. Accad. Scien. anno 1731. pag. 134.*

Vinculum tandem omnium potiſſimum affert auxilium, præſertim cum amplius fuerit ſauciatum vas, vel ita locatum ut comprimi nequeat. Illud triplici ratione perficitur: vel forcipe arteriam protrahendo, eamque circumſtricto filo ligando; vel poſt vincturam ipſius ſubſtantiam filo transfigendo; vel denique, quod frequentius uſuvenit, *cum parte circumpoſitæ carnis arteriam conſtringendo*, qua poſtrema methodo optime occluditur vas, neque periculum eſt quod vinculum decidat.

Cauſtica etiam, & *corrodentia* olim uſuvenieniebant, quæ eſcharam producendo hæmorrhagias ſiſtebant, & ipſa facile decidente, cruoris effuſio *ſtatim renovabatur*, quare nunc penitus exoleverunt.

Diætæ vero reſpectu victus tenuiſſimus eſſe debet, donec vas perfecte conſolidatum fuerit; qui neque copiam, neque impetum ſanguinis augere valeat, ideoque vulnere adhuc patulo ſedulo vitari debent *mixturæ ſpirituoſæ*, ſalia volatilia, & alia id genus, quæ deliquii obventu ubertim exhiberi ſolent. Reliqua porro interna remedia, in paroxiſmo ſaltem, *omnino fruſtranea* evadunt, ut vix recenſeri mereantur.

For-

Formulæ.

℞. *Gallar. Aleppienſ.*

Sang. Dracon. ſ. p. a. ℥. ß.

Alum. rup. ſ, p. ℨ. ij.

Gumm. Arab. ℨ. j.

m. f. pulvis.

Qui in mitiori hæmorrhagia vulnerato loco cum ſpleniis applicatus præ reliquis adſtringentibus pulveribus utilis evaſit.

Aphoriſmi.

EX HIPPOCRATE.

MOrs quoque ſubit, ſi in arteriam, aut ... inſignes valde plagæ inflictæ fuerint. *Coac.* 509.

Vulneratos fameaffligere ... aquam dare ... valde convenit. *De affectibus XXXVII.* 8.

Vulneri convulſio ſuperveniens lethale. *Sect. V. aphor.* 2. *coac.* 506.

Minime ab his vulneribus mors impendet, quæ in corporis partes minus nobiles, aut a nobilibus quam longiſſime remotus infliguntur. *Coac.* 509.

Auctores.

BOERAVIUS *ab aphor.* 159. . . . 161. & 218. . . 219. *inclusive cum notis* VVANSVIETENII.
HEISTERUS. *in suo tract. Chirurg.*
PETITUS. *act. Accad. Scient. anno* 1731.
PAREUS. *in lib.* XII. *cap.* 35.

HÆMORRHAGIA VENOSA.

EX venis dissectis nisi supra vulnus ipsæ vinciantur, sanguis segniter *sine saltu* vicinas partes lambendo, minusque rutilus stillat ob parietum laxitatem, qui in arteriis contra sanguinis cursum maxime promovent.

Etenim si vena non admodum ampla sauciata fuerit, vel sponte parietibus colabentibus fluxus desistet, vel semel fasciis circumductis cohibebitur.

Vulnera venarum, quæ magis implicant, sunt illa *jugularium*, vel varicum crurum in gravidis, sed illæ facile *filo deligantur*, hæ simplici pressione, vel etiam leviori styptico adjuvante consolidantur.

FINIS.

6